ANNUS LXXV SERIES VII FASCICULUS PRIMUS AN. 1950

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI

peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Subsecretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

VINCENTIO FAGIOLO A Secretis
Off. S. C. De Disciplina Sacramentorum

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F. O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BIDAGOR R. S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M. S. J., Cons. S. C. Concilii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — INDELICATO S., Off. S. C. Rituum — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G. O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C.I — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

37082

IMPRIMATUR

—

Sorae, 20 - III - 1950.

† Michaël Fontevecchia
Ep. Soran., Aquinaten. et Pontiscurvi.

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

ACTA PII PP. XII

Epistula Encyclica « Anni Sacri » . . . . . Pag. 9

Motu Proprio de Iudiciis pro Ecclesia Orientali . . . . . » 13

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

Instructio ad Locorum Ordinarios: « De motione oecumenica » - (C. Boyer S. I. *in Pont. Universitate Gregoriana Professor*) . . . . . » 15

Responsum de validitate Baptismi in quibusdam sectis collati - (F. Carpino, *in Pont. Ath. Lateranensi Theologiae Sacramentariae Professor*) . . . » 23

Decretum: Proscriptio libri « Abscôndita, Diário da Irma Inês ». . . . » 30

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Decretum quo Sacerdos Joannes Dechet poena excommunicationis afficitur . » 31

SACRA CONCREGATIO DE SACRAMENTIS

Prorogatur pro Sacerdotibus Adoratoribus facultas celebrandi Missam post mediam noctem, occasione missionum . . . . . » 32

Facultas celebrandi Missam in curribus viatorum viae ferratae occasione peregrinationum ad Urbem conceditur . . . . . » 33

Ordinarii S. F. Americae Septentrionalis facultatem litandi in mari concedere valent sacerdotibus ad Urbem peregrinantibus occasione anni iubilaris . » 33

De implorando indulto privati oratorii eiusque extensionum - (C. Zerba) . . » 35

Adnotationes ad Litteras Circulares S. C. De Sacramentis diei 15 augusti 1949, V. Bartoccetti. . . . . . » 41

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Decretum de confirmatione administranda iis, qui ex gravi morbo in periculo mortis sunt constituti - (X. Paventi.) . . . . . Pag. 56

Decretum de clericis ex Europaeis dioecesibus in Australiam vel Novam Zelandiam demigrantibus - (X. Paventi.). . . . . » 59

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

Epistula ad Excellentissimos ac Reverendissimos Locorum Ordinarios (F. Romita.). . . . . » 62

JURISPRUDENTIA TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

SACRA ROMANA ROTA

De nullitate sententiarum antea prolatarum . . . . . » 71

TRIBUNAL REGIONALE PICENUM

Causa nullitatis matrimonii N. N. ex capite impotentiae viri . . . . » 77

STUDIA ET CONSULTATIONES

De nova disciplina matrimoniali Ecclesiae Orientalis - A. Herman S. J., *S. C. pro Ecclesia Orientali Consultor* . . . . . » 87

An S. R. ROTA Restitutionem concedere valeat causarum matrimonialium quas ipsamet peremptas declaravit - J. M. Pinna, *Defensor Vinculi S. R. Rotae* » 93

De jure agendi in iudiciis ecclesiasticis Communistarum aliorumque Acatholicorum - A. Del Corpo, *Def. Vinculi Subst. apud S. R. Rotam* . . . » 97

De processu canonico super matrimonio rato et non consummato - J. Casoria, *A Studiis S. C. de Sacramentis* . . . . . » 103

De « Sanctitate » quae pro Beatificatione et Canonizatione Servorum Dei requiritur probanda - S. Indelicato . . . . . » 109

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

I mezzi di difesa contro la giurisprudenza divorzistica, Prof. Avv. G. Lenti . » 127

La Proposta di Legge degli On. Pierantozzi e Ambrico per i miglioramenti economici al clero congruato, V. Fagiolo . . . . . » 135

FRANCE

Jurisprudence du conseil d'etat. Jurisprudence de la cour de Cassation. Textes Législatifs, J. BERNHARD . . . . . Pag. 139

RECENSIONES

Sacrae Romanae Rotae decisiones seu sententiae, quae prodierunt anno 1940 cura eiusdem S. Tribunalis editae, vol. XXXII, Typis Polyglottis Vaticanis, 1949, R. ROMANO, *Adv. Rotalis, de C. Procuratorum SS. PP. AA.* . . » 144

MICELI G., Guida Pratica per la celebrazione del matrimonio . . . . » 157

Saverio PAVENTI, La Chiesa Missionaria. Manuale di Missionologia dottrinale, Roma 1949, pp. 542 . . . . . » 158

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1950_75_1

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES
PATRIARCHAS PRIMATES
ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS
PACEM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

Publicae indicuntur supplicationes pro christiana morum renovatione populorumque concordia, die dominica Passionis habendae.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Beneditionem.

Anni Sacri, qui iam volvitur, cursus non unam Nobis attulit leatitiae consolationisque causam; vidimus nempe pluribus ex terrarum orbis partibus christianorum multitudines Romam confluere, ex qua evangelicae doctrinae lux inde ab Ecclesiae originibus intaminata radiatur; vidimus easdem ad divi Petri limina non modo suas paenitendo proluere labes, sed totius etiam mundi effusis supplicationibus expiare peccata, atque universae hominum consortioni ad Deum impetrare reditum; ex quo quidem solummodo vera pax animis, concordia civibus, prosperitas Nationibus oriri potest. Ac novimus has primas peregrinantium turmas earum quasi primitias esse, quas subinde, clarioribus praesertim mensibus, frequentiores etiam fore prospicimus. Quamobrem sperare licet uberes inde profecturos esse salutaresque fructus.

Nihilo secius, si haec, quae attigimus, suavissime Nobis praebuere solacia, non desunt tamen anxitudinis angustia-

rumque causae, ob quas paternus animus Noster gravibus obducatur maestitiae nubibus. Ac primum, quamquam iam diu bellica fere ubique tacuere arma, pax nondum optatissima convenit, quae firma, quae solida sit, quae varias atque increscentes discordiarum rationes feliciter componat. Multi hinc inde populi sibi invicem adversantur; et cum mutua non intersit fiducia, apparatum militarem ita certatim congerunt, ut omnium animi suspensi ac trepidi permaneant.

Quod autem non modo gravius videtur Nobis, sed omnium etiam malorum fons hoc est: non raro in veritatis locum mendacium suffectum esse ac veluti contentionis instrumentum adhiberi; religionem sanctam a non paucis vel neglectam ac posthabitam esse, quasi nullius momenti negotium, vel etiam alicubi a domestico convictu a civilique societate utpote veterum temporum superstitionem prohibitam; impietatem privatim, publice efferri; atque adeo mores, sublato Numine Eiusque lege, nullo fundamento constare. Scripta, quae typis eduntur, vel nimio saepius res sacras flagitiose ac turpiter vituperare, vel omne genus obscenitates patefacere, ac ceream pueritiam praesertim atque inescatam iuventutem ad vitiorum illecebras trahere summoque cum detrimento excitare. Populares civium ordines commenticiis promissionibus decipi; eorumque animos — si eo potissimum devenitur ut avita fides, quae maximum in terrestris huius exilii miseriis solacium est, radicitus ex iisdem evellatur — ad odium, ad simultatem, ad discordias compelli; unde cernere est vim, tumultus, turbas meditato consilio ac continuata serie oriri quae rebus œconomicis ruinam parant, immo undique bono communi damnum irreparabile inferunt.

Haec praeterea acerrima cum animi mæstitia lamentamur: in Nationibus nempe non paucis Dei, Ecclesiae, ipsiusque humanae naturae iura graviter offendi ac proculcari; sacrorum administros, excelsa etiam dignitate insignitos, vel e sui esse muneris sede deturbatos, et in exsilium, in carcerem detrusos, vel ita esse praepeditos, ut libere nequeant sibi creditum exercere ministerium; in litterarum ludis, in altiorum disciplinarum scholis, in scriptis prelo editis vel nullam esse facultatem christianam proponendi tuendique doctrinam atque Ecclesiae impertiendi praecepta, vel ita esse coarctatam ac publica censura inspectam, ut videatur inibi illud ex arbitrio vigere pro-

positum, ut veritas, ut libertas, ut ipsa sancta religio civili auctoritati unice demisseque servire debeant.

Quae cum tanta sint mala, cumque, ut diximus, ex uno fonte proficiscantur, hoc est ex repudiato Numine ex Eiusque neglecta lege, prorsus necessarium est, Venerabiles Fratres, supplices ad Deum preces attollere, et ad illa praecepta revocare omnes, ex quibus solummodo lux mentibus, pax et concordia animis, iustitia populis civiumque classibus, debito servato ordine, oriri possunt.

Ut probe nostis, bene morata civitas recteque composita, sublata religione, esse non potest. Quamobrem facile cernitis quantopere oporteat sacrorum administros imprimis ad hoc urgendum opus alacriter, vobis ducibus, allaborare; nullis ii parcant laboribus ut per hunc praesertim annum sacrum greges sibi cuique crediti, praeiudicatis ac falsis depositis opinionibus, restinctis odiis, sedatis discordiis, ita evangelica nutriantur doctrina, ita christianam participent vitam, ut felix reapse habeatur redintegratio morum. Cum autem non ad omnes, non ad omnia sacerdotibus pateat aditus, neque eorum opera semper possit necessitatibus omnibus consentaneo modo occurrere, ii, qui in Actionis Catholicae agminibus militant, adiutricem suam, sollertem impensamque praestent navitatem. Nemini liceat esse desidem, nemini inertem, nemini otiosum esse, dum tanta mala incumbunt, dum tot discrimina impendent, dum ii, qui ex adversa sunt parte, ipsa catholicae religionis christianique cultus fundamenta subruere enituntur. Esto numquam in posterum ut « filii huius sæculi prudentiores filiis lucis » (*Luc.* 16, 8) sint; esto numquam ut hi minus alacres evadant.

Verumtamen, quandoquidem humanae opes impares sunt, nisi divina innitantur gratia, vos etiam atque etiam adhortamur, Venerabiles Fratres, ut nova habeatur in gregibus cuiuque vestris sacra quasi precum contentio, qua a Patre misericordiarum Deoque totius consolationis (cfr. *2 Cor.* 1, 3) praesentibus malis opportuna remedia impetrentur. Cupimus autem ut hae publicae supplicationes una Nobiscum die XXVI huius mensis Martii potissimum ad Cælum admoveantur, hoc est die Dominica Passionis, cum sacri Ecclesiae ritus acerrimos incipiunt commemorare cruciatus, quibus Divinus Redemptor nos a captivitate daemonis liberavit et in libertatem adduxit

filiorum Dei. Nobis igitur in animo est hac eadem die Petrianam adire Basilicam, ibique non modo adstantium, sed — ut fore confidimus — totius etiam catholici orbis precibus supplices Nostras coniungere. Qui vero infirmitate, qui senio aliave causa adire templa praepediuntur, ii dolores angoresque suos demisso fidentique animo Deo offerant; ita quidem ut una sit omnium supplicatio, unus anhelitus, unumque votum.

Omnes, una Nobiscum ubique terrarum comprecantes, a propitiato Numine contendant, ut ex christiana morum redintegratione optata illa tandem habeatur renovatio rerum, quae veritate, iustitia caritateque conformetur. Lumen e Cælo eorum mentibus illucescat, quorum in manibus populorum sunt sortes; iidemque animadvertant pacem esse sapientiae ac iustitiae opus; cruentum vero bellum cæcitatis et odii; itemque secum animo perpendant non modo se aliquando historiae fore, sed sempiterni etiam Numinis iudicio responsuros.

Qui invidiae, discordiae simultatisque semina apertis manibus serunt, qui turbas seditionesque vel tecte, vel palam conflant, qui facile commovendam plebem inanibus decipiunt pollicitationibus, intellegant tandem non vi, non tumultibus, sed rectis legibus oportere omnino ad illam devenire iustitiam, quam christiana praecepta postulent, et quae ad sanam conferat civium ordinum aequilibritatem et ad mutuam fraternamque concordiam. Omnes denique, superna collustrati luce communibus precibus impetrata, addiscant unum tantummodo posse, Divinum nempe Redemptorem, multiplices ac formidolosas hominum contentiones feliciter componere; Iesum Christum dicimus, qui via est veritas et vita (cfr. *Io*, 14, 6); qui cæleste lumen infuscatis mentibus, qui vim supernam incertis ac iacentibus voluntatibus praebere potest. Etenim « sine via non itur, sine veritate non cognoscitur, sine vita non vivitur » (*De Imit. Ch.* 1. III, c. 56, v. 5). Ipse unus potest res terrenas iustitia temperare, caritate componere; ac mortalium animos, fraternae necessitudinis vinculis coniuctos, ad sempiternam dirigere beatitatem.

Ad Eum igitur fidentes, amantes sperantesque nostras admoveamus preces. Respiciat Ille benignus, per sacrum praesertim qui volvitur annum, hominum genus tot calamitatibus pressum, tot timoribus anxium ac tot discordiarum fluctibus æstuans; respiciat benignus, et quemadmodum olim commotas

Galileae lacus undas divino suo tranquillavit nutu, ita humanis tempestatibus modum ordinemque imponat.

Iniquorum mendacia sua luce detegantur; tumescens superborum arrogantia comprimatur; ii, qui divitiis affluunt, ad iustitiam, ad largitatem, ad caritatem moveantur; qui autem, tenuiore, vel misera fortuna anguntur, Nazarethanam familiam respiciant, quae et ipsa sibi debuit cotidiano suo labore comparare panem; qui denique publicae rei gubernacula tractant, sibi omnes persuasum habeant nulla esse Civitatum fundamenta solidiora, quam christiana praecepta ac tutelam ecclesiasticae libertatis.

Haec, Venerabiles Fratres, optamus ut christifidelibus, curis vestris demandatis, Nostro nomine proponatis, eosdem adhortantes ut una Nobiscum supplices ad Deum atque impensas adhibeant preces.

Ac fore confisi ut Nostris hisce adhortationibus libentes omnes volentesque respondeant, cælestium gratiarum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum vobis singulis universis, tum gregibus unicuique vestrum concreditis Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XII mensis Martii, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

MOTU PROPRIO

DE IUDICIIS PRO ECCLESIA ORIENTALI

PIUS PP. XII

Sollicitudinem Nostram in bonum et profectum Ecclesiae Orientalis convertentes, de matrimonii disciplina apud christifideles eiusdem Ecclesiae servanda die XXII mensis Februarii anno MDCCCCXXXXIX Apostolicas Litteras promulgavimus, quarum exitus eventusque conceptae spei Nostrae haud impares esse gaudemus. Solatio enim haud mediocri Nobis fuit a Legatis Nostris in regionibus Orientalis Ecclesiae et a sacrorum

Antistitibus, qui ibidem sunt, gratiarum actiones excipere itemque significationes, quae aperte obtestabantur inceptum Nostrum communi opinione perutile aestimari. Atqui ab iisdem, dum iteratis votis petebatur, ut quam primum integer legum Codex pro Orientali Ecclesia publicaretur, asseverabatur quoque rem prorsus urgere, ut saltem canones ad ecclesiastica tribunalia spectantes actutum promulgaretur: quodsi enim huiusmodi necessitati obviam non iretur, magnum incommodum et detrimentum christifidelium animis exoriturum esse.

Accedit quoque nonnullas leges processuales in Ecclesia Orientali vigentes, ad antiquorum temporum adiuncta accommodatas, mutatis condicionibus, factas fuisse ad exsequendum difficiles vel minus ad animarum salutem conducibiles.

Non paucae vero omni carebant utilitate, et saepe impedimento erant ad iuris canonici studium, utpote quae vel easdem res crebro recinerent vel aliis, recentiore aetate latis, adversarentur.

Oportet etiam sacra Ecclesiae iura sarta tecta serventur in exercenda iudiciali potestate, quae ad ipsam divinitus data pertinent, itaque compescantur conamina, ibidem hic illic notabiliter prodeuntia, quae civilibus magistratibus huiusmodi iudicia arrogant.

Quibus incommodis et periculis ut afferamus medelam, utque tuendis vel redintegrandis iuribus consulamus in rite peragendis iudiciis, quibus humanae consortionis haud levi in re pax et bonum continentur, Nos attente et cogitate omnibus in Domino perpensis, motu proprio, certa scientia ac de Apostolicae plenitudine potestatis statuimus et decrevimus de supra memoratis causis eos canones iam nunc publicare, qui a Consilio legum Codici pro Orientali Ecclesia conficiendo parati erant.

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

INSTRUCTIO

AD LOCORUM ORDINARIOS: « DE MOTIONE OECUMENICA »

Ecclesia Catholica, etsi congressibus ceterisque conventibus « oecumenicis » non intervenit, nunquam tamen destitit, ut ex pluribus documentis Pontificiis colligitur, neque unquam in posterum desistet intensissimis studiis prosequi assiduisque ad Deum precibus fovere omnes conatus ad illud obtinendum, quod tantopere Christo Domino cordi est, videlicet ut omnes, qui credunt in Ipsum, « sint consummati in unum » [1].

Etenim affectu plane materno omnes complectitur, qui ad ipsam tamquam ad unicam veram Christi Ecclesiam revertuntur; unde nequeunt satis probari et promoveri cuncta illa consilia et incepta, quae, consentiente Ecclesiastica Auctoritate, sive ad conversuros rite in fide instruendos, sive ad conversos in ea altius perficiendos, suscepta sunt atque peraguntur.

Iam vero in pluribus Orbis partibus, quum ex variis externis eventibus et animorum mutationibus, tum maxime ex communibus fidelium orationibus, afflante quidem Spiritus Sancti gratia, in multorum animis ab Ecclesia Catholica dissidentium desiderium in dies excrevit ut ad unitatem omnium redeatur, qui in Christum Dominum credunt. Quod profecto filiis Ecclesiae verae est causa sanctae in Domino laetitiae simulque invitamentum ad praestandum omnibus sincere veritatem quaerentibus auxilium, ipsis lucem et fortitudinem effusa prece a Deo sollicitando.

Conatus autem quidam a diversis sive personis sive etiam coetibus ad reconciliandos cum Ecclesia Catholica dissidentes christianos hucusque suscepti, quamvis optimis inspirentur intentionibus, non semper rectis innituntur principiis, et si quando innitantur, tamen peculiaribus non carent periculis, quemadmodum etiam experientia iam est compertum. Quare Supremae huic S. Congregationi, cui incumbit cura depositum fidei con-

[1] Ioan., XVII, 23.

servandi integrum ac tuendi, opportunum visum est in memoriam revocare et praecipere ea, quae sequuntur:

I. Quum praefata « reunio » ad Ecclesiae munus et officium potissimum pertineat, speciali cura Episcopos, quos « Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei » [2], eidem attendere oportet. Ipsi igitur non solum diligenter et efficaciter universae huic actioni invigilare debent, verum etiam prudenter eam promovere et dirigere, tum ut adiuventur qui veritatem veramque Ecclesiam exquirunt, tum ut arceantur a fidelibus pericula, quae actionem ipsius « Motionis » facile consequuntur.

Quapropter in primis plane perspecta habere debent quaecumque in suis dioecesibus per illam « Motionem » constituta sunt ac geruntur. Ad hoc Sacerdotes idoneos designabunt, qui, iuxta doctrinam et normas a Sancta Sede praescriptas, v. gr. per Litteras Encyclicas « Satis cognitum », [3] « Mortalium animos » [4] et « Mystici Corporis Christi », [5] omnia ad « Motionem » attinentia sedulo attendant, deque iis, modo ac tempore statuto, sibi referant.

Praecipua autem cura publicationibus, quae hac de re a catholicis quacumque forma eduntur, invigilabunt et sacrorum canonum « De praevia censura librorum eorumque prohibitione » (can. 1384, seq.) observantiam urgebunt. Quod idem facere non omittent quoad acatholicorum de eadem re publicationes, a catholicis sive edendas, sive legendas, sive vendendas.

Item ea diligenter providebunt, quae acatholicis, catholicam fidem cognoscere cupientibus, inservire possint; personas et Officia designabunt, quae iidem acatholici adire et consulere queant, eoque magis prospicient, ut, qui ad fidem conversi iam fuerint, facile inveniant, qua ratione ipsi accuratius altiusque in fide catholica instruantur, vitamque religiosam actuose ineant, praecipue per opportunos conventus ac coetus, per Exercitia Spiritualia et alia pietatis officia.

II. Quoad *modum rationemque hoc in labore procedendi,* Episcopi ipsi, quaenam praestanda sint, quaenam vero evitan-

---

[2] *Act.*, XX, 28.
[3] *Acta Leonis XIII*, vol. XVI, a. 1897, pag. 157 ss.
[4] *Acta Ap. Sedis.* vol. XX, a. 1928, pag. 5 ss.
[5] *Acta Ap. Sedis.* vol. XXXV, a. 1943, pag. 193 ss.

da, praescribent, eaque ab omnibus observanda curabunt. Pariter invigilabunt, ne, falso praetextu potius esse attendenda ea quibus coniungimur, quam ea quibus seiungimur, periculosus indifferentismus foveatur praesertim penes eos, qui minus rebus theologicis sunt instituti et minus in sua religione exercitati. Cavendum est enim ne spiritu, qui « *irenicus* » hodie dicitur, doctrina catholica — sive de dogmate sive de veritatibus cum dogmate connexis agatur — studio comparativo et desiderio vano assimilationis cuiusdam progressivae variarum professionum fidei ita conformetur vel quodammodo accommodetur doctrinis dissidentium, ut puritas doctrinae catholicae detrimentum patiatur vel eius sensus genuinus et certus obscuretur.

Arcebunt quoque periculosum illum loquendi modum, quo falsae opiniones gignantur ac fallaces spes, quae nunquam impleri possunt; ex. gr. dicendo quae de dissidentium ad Ecclesiam reditu, de Ecclesiae constitutione, de Corpore Christi Mystico in Litteris Encyclicis Romanorum Pontificum traduntur non ita aestimari debere, quippe quia non omnia sint fide tenenda vel, quod peius est, in rebus dogmaticis ne Catholicam quidem Ecclesiam iam habere plenitudinem Christi, sed ab aliis eandem perfici posse. Sedulo praecavebunt et firmiter insistent, ne, in exaranda Reformationis et Reformatorum historia, ita exaggerentur Catholicorum defectus et dissimulentur culpae Reformatorum, vel ita quae potius accidentalia sunt in lumine collocentur, ut iam id, quod maxime essentiale est, scilicet defectio a fide catholica vix amplius videatur et persentiatur. Denique curabunt, ne nimia ac falsa industria externa vel imprudentia excitatoque procedendi modo rei propositae potius noceatur, quam serviatur.

*Tota i*gitur et *integra* doctrina catholica est proponenda atque exponenda: minime est silentio praetereundum vel ambiguis verbis obtegendum, quod veritas catholica complectitur de vera iustificationis natura et via, de Ecclesiae constitutione, de primatu iurisdictionis Romani Pontificis, deque unica vera unione per reditum dissidentium ad unam veram Christi Ecclesiam. Hii quidem edoceantur se ad Ecclesiam redeuntes nihil esse perdituros eius boni, quod gratia Dei in ipsis hucusque est natum, sed per reditum id potius completum atque absolutum iri. Attamen non ita de hoc est loquendum, ut ipsi

sibi videantur redeuntes aliquid substantiale afferre ad Ecclesiam, quod in Ipsa hactenus defuerit. Haec revera clare et aperte dici oportebit, tum quia veritatem ipsi quaerunt, tum quia extra veritatem unio vera obtineri nunquam poterit.

III. Quoad *mixtos in specie catholicorum cum acatholicis conventus et collationes*, quae multis in locis ad fovendam in fide «reunionem » recentioribus temporibus haberi coepta sunt, singulari prorsus Ordinariorum vigilantia et moderamine opus est. Si enim optatam quidem praebent occasionem spargendi inter acatholicos cognitionem catholicae doctrinae adhuc ipsis plerumque non satis cognitae, ex altera tamen parte facile secumferunt haud levia catholicis indifferentismi pericula. Ubi quaedam boni fructus spes affulgere videatur, Ordinarius rem curabit recte administrandam, designando quam maxime idoneos ad hos conventus sacerdotes, qui catholicam doctrinam apte congruenterque exponant ac defendant. Fideles autem eos conventus ne adeant, nisi obtenta venia peculiari Auctoritatis Ecclesiasticae, quae danda solummodo est iis qui bene instructi et fortes in fide cognoscantur. Ubi vero boni fructus spes non appareat, vel si res aliunde specialia quaedam pericula secumferat, fideles ab iisdem conventibus prudenter arceantur, conventus autem ipsi mature dissolvantur vel sensim exstinguantur. Quoniam vero experientia docet, ampliores eiusmodi conventus parum fructus et plus periculi solere afferre, nonnisi post diligentissimum examen permittantur.

Ad colloquia autem inter theologos catholicos et acatholicos mittantur tantummodo sacerdotes, qui, scientia theologica et firma sua adhaesione ad principia et normas hac in re ab Ecclesia statutas, ad illa vere idoneos se probaverint.

IV. Omnes praefatae collationes et conventus, publici et non publici ampliores et minores, ex condicto instituti, ut pars catholica et acatholica discussionis causa de rebus fidei et morum tractet suaeque fidei doctrinam tamquam propriam exponat, par cum pari agens, subsunt Ecclesiae praescriptis, quae *Monito* « Cum compertum » [6] huius Congregationis die 5 Iunii 1948 dato in memoriam sunt revocata. Conventus mixti

[6] *Acta Ap. Sedis*. vol. XL, a. 1948, pag. 257.

itaque non absolute prohibentur; ne tamen habeantur absque praevia competentis Auctoritatis Ecclesiasticae venia. *Monito* autem non subiacent instructiones catecheticae, etiam pluribus simul impertitae, neque conferentiae, in quibus acatholicis conversuris exponitur doctrina catholica: etsi oblata occasione ab acatholicis suae quoque ecclesiae doctrina exponitur eum in finem, ut clare et considerate eis innotescat, in quo ipsa concordet cum doctrina catholica, in quo vero ab ea discrepet.

Neque idem *Monitum* respicit eos conventus catholicorum et acatholicorum mixtos, in quibus non agitur de rebus fidei ac morum, sed deliberatur quanam via collatis viribus principia fundamentalia iuris naturae vel religionis christianae defendantur contra colligatos hodie Dei inimicos, vel agitur de ordine sociali redintegrando aliisve id genus quaestionibus. Quibus etiam in conventibus, ut evidens est, catholicis non licet aliquid probare vel concedere quod cum divina revelatione et Ecclesiae, in re sociali quoque, doctrina non congruat.

Quoad collationes et conventus *locales*, qui iuxta exposita *Monito* tanguntur, Ordinariis locorum datur ad tres annos, a publicatione huius Instructionis computandos, facultas concedendi requisitam praeviam Sanctae Sedis licentiam, iis tamen condicionibus, ut

1° omnino evitetur in sacris communicatio;

2° ipsae tractationes debito modo inspiciantur et dirigantur;

3° in fine cuiusque anni ad hanc Supremam S. Congregationem referatur, in quibusnam locis tales conventus initi fuerint et quaenam inde collectae sint experientiae.

Circa vero *colloquia theologorum* supra memorata, eadem facultas ad idem tempus tribuitur Ordinario loci, ubi eiusmodi colloquia habentur, vel Ordinario communi consensu ab aliis Ordinariis ad hoc opus dirigendum delegato, sub condicionibus, ut supra, ita tamen, ut item singulis annis ad hanc S. Congregationem referatur de quaestionibus tractatis, quinam interfuerint et quinam exstiterint ex utraque parte relatores.

Quod attinet ad *collationes et conventus interdioecesanos vel nationales sive internationales*, praevia semper, eaque specialis pro singulis casibus, necessaria est ipsius Sanctae Sedis venia, in cuius petitione addendum quoque est, quaenam sint quaestiones et res tractandae et quinam futuri sint relatores.

Neque licet, antequam venia haec obtenta sit, inchoare externum eiusmodi conventuum apparatum vel hac in re cum acatholicis eundem inchoantibus collaborare.

V. Quamquam in omnibus hisce conventibus et collationibus quaelibet in sacris communicatio est devitanda, tamen non reprobatur communis recitatio Orationis Dominicae vel precationis ab Ecclesia Catholica approbatae, qua iidem conventus aperiantur et concludantur.

VI. Etsi uniuscuiusque Ordinarii ius et officium est huic operi in sua diocesi attendere, favere et praeesse, tamen plurium Antistitum cooperatio conveniens vel etiam necessaria erit in officiis operibusque ad *universum* hoc opus observandum, explorandum et moderandum instituendis. Ipsorum itaque Ordinariorum erit, collatis consiliis, examinare qua ratione apta in agendo uniformitas et ordinata colligatio obtineatur.

VII. Superiores religiosi invigilare et curare tenentur, ut sui subditi stricte fideliterque adhaereant iis, quae a Sancta Sede vel ab Ordinariis locorum hac in re praescripta sunt.

Quo autem tam praeclarum opus « reunionis » omnium christianorum in una vera fide Ecclesiaque magis in dies evadat insignita pars universae animarum curae, totusque populus catholicus ipsam « reunionem » instantius a Deo imploret, iuvabit profecto, ut fideles de his quaestionibus conatibusque, nec non de Ecclesiae ad rem praescriptionibus, deque rationibus, quibus eaedem nitantur, opportune, v. gr. per Litteras Pastorales, edoceantur. Omnes quidem et praesertim Sacerdotes et Religiosi adhortandi et inflammandi sunt, ut suis orationibus et sacrificiis idem opus fecundare ac promovere studeant, monendique omnes, nulla alia re efficacius errantibus sterni viam ad veritatem et Ecclesiam amplectendam, quam fide catholicorum probis moribus comprobata.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 20 decembris 1949.

+ Franciscus Card. Marchetti Selvaggiani, *Secretarius.*

Alaphridus Ottaviani, *Adsessor.*

ADNOTATIONES

Instructio Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii ea claritate splendet ut ulteriori declaratione non indigeat. Conandum est potius ut quod habet praecipuum breviter resumatur simul cum una vel altera animadversione.

Huius instructionis causa indicatur « motio oecumenica » ad unionem omnium christianorum promovendam, quae incepta circa annum 1910 paulatim vires auxit inter Protestantes et quosdam Orientales dissidentes et post bene multas conferentias diversis in locis celebratas amplissimum coegit congressum Amstelodami, mense augusto anni 1948.

Quamvis Ecclesia renuerit participare istis conferentiis, quidam tamen catholici minores conventus frequentabant, in quibus cum acatholicis discussiones de rebus fidei habebantur. Cum autem res non sine periculis et inconvenientibus aliquando se haberet, S. Congregatio S. Officii *monitum* « Cum compertum » dedit die 5 iunii 1948, quo praescripta Codicis Iuris Canonici de hac materia in memoriam revocabantur et quo speciatim declarabatur tales conventus sine praevia Sanctae Sedis venia, haberi non posse.

Tribuendum sane est orationibus fidelium quod multi dissidentes nunc desiderium habeant ut ad unitatem omnium redeatur; eosque debemus pro posse nostro adiuvare. Ut autem conatus fidelium in hoc opere unionis recte procedant, normae requiruntur quas eadem S. Congregatio nunc praesenti instructione constituit.

Et primum quidem cura huius apostolatus inter officia episcoporum locum habent, quorum est procurare ut redeuntes ad Ecclesiam et maxime iam conversi quam optime iuventur; in quo opere tota et integra doctrina, etiam quoad puncta convertendis vel conversis difficiliora, clare exponenda est. Quod autem ad mixtos conventus catholicorum cum acatholicis attinet, Ordinariorum est eos moderari per idoneos sacerdotes; sed non sinantur laici ad eos participare nisi qui sint bene instructi et fortes in fide. A fortiori lectissimi sint sacerdotes qui colloquia cum acatholicis theologis habere permittentur.

Conventus qui subsunt monito, qui nempe sunt « ex condicto instituti ut pars catholica et acatholica discussionis causa de rebus fidei doctrinam tanquam propriam exponat, par cum pari agens » haberi non possunt sine praevia venia Sanctae Sedis. Datur Ordinariis locorum ad tres annos facultas concedendi hanc praeviam Sanctae Sedis licentiam. Excipiuntur conventus interdioecesani vel nationales sive internationales, pro quibus ab ipsa Sancta Sede licentia petenda est. In his autem conventibus « non repro-

batur communis recitatio Orationis Dominicae vel precationis ab Ecclesia Catholica approbatae, qua iidem conventus aperiantur et concludantur ».

Notatur ad *Monitum* non pertinere ac proinde non subiici praeviae Sanctae Sedis veniae neque instructiones cathecheticae, neque conventus mixti, in quibus agitur sive de defendendis principiis fundamentalibus iuris naturae vel religionis christianae sive de ordine sociali et similibus dummodo nihil probetur vel concedatur quod cum divina revelatione et Ecclesiae, in re sociali quoque, doctrina non congruat. Unde patet quantum erraverint qui in diariis non paucis dixerunt finem instructionis esse ut constituatur, sicuti aiunt « frons » anticommunista. Re quidem vera, finis instructionis est ut conventus mixti nonnisi in veram utilitatem animarum vertant, sive catholicorum, sive non catholicorum. Omnibus igitur qui sincerum habent zelum animarum placebit.

Nec praetermittantur ultimae documenti sententiae quibus totus populus catholicus simul ac sacerdotes et religiosi excitantur ut tam praeclarum opus reunionis precibus et opere fovendum suscipiant. Sperandum est igitur fore ut sive consuetae preces tempore Octavae a die 18 ad diem 25 ianuarii, sive preces novendiales ante Pentecostem a Leone XIII praescriptae, fervidiores ad Deum ascendant; utque conventus vel associationes existentia vel futura normas et directionem Sanctae Sedis fideliter sequantur; ut tandem associationibus et conventibus eisdem fideles dent nomina et caetera subsidia; quo fiet ut tandem ipsum unionis donum a divina largitate obtineatur.

Carolus Boyer S. I.
in Pont. Univer. Gregoriana Professor

RESPONSUM

DE VALIDITATE BAPTISMI IN QUIBUSDAM SECTIS COLLATI

Huic Supremae S. Congregationi a nonnullis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis Ordinariis locorum propositum fuit dubium:

« Utrum, in diiudicandis causis matrimonialibus, baptismus in sectis Discipulorum Christi, Presbyterianorum, Congregationalistarum, Baptistarum, Methodistarum collatus, posita necessaria materia et forma, praesumendus sit invalidus ob defectum requisitae in ministro intentionis faciendi quod facit Ecclesia vel quod Christus instituit, an vero praesumendus sit validus, nisi in casu particulari contrarium probetur ».

Feria IV, die 21 decembris 1949

E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandarunt:

Negative ad primam partem; *affirmative* ad secundam.

Sequenti autem Feria V, die 22 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius, divina Providentia Papa XII, in solita Audientia Exc.mo P. D. Adsessori S. Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit atque publicari iussit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 28 decembris 1949.

PETRUS VIGORITA, *Supr. S. C. S. Officii Notarius.*

ADNOTATIONES

1° - Neminem fugit quanti momenti sit, in diiudicandis matrimonialibus causis, praesumptio validitatis baptismi in determinata secta collati. Frequentes siquidem sunt casus in quibus aliquis, in secta baptizatus, matrimonium postea contraxit cum persona non baptizata. Deinde gratia Dei motus ad veram Ecclesiam se convertit, et novas nuptias in Ecclesia catholica inire vult. Tunc proprie, pendet ex validitate baptismi antea recepti an eiusmodi matrimonialis causa diiudicanda sit per applicationem privilegii Paulini an simpliciter reservanda sit S. Officio.

2° - Iamvero, prout elucet ex dubio S. Officio proposito, ratio dubitandi num, posita necessaria materia et forma, baptismus, collatus in sectis Discipulorum Christi, Presbyterianorum, Congregationalistarum, Baptistarum, Methodistarum, in sectis nimirum quae maxime in America Septentrionali sparsae sunt, validus habendus sit vel non, ex requisita intentione in ministro procedit. In quantum enim praesumitur ministrum, baptismum administrando, intentionem habere faciendi quod facit Ecclesia, seu, quod idem est, faciendi quod Christus instituit, standum est pro validitate baptismi, in recensitis sectis collati, nisi in casu particulari contrarium probetur; et e contra, standum est pro invaliditate baptismi, si praesumitur ministrum requisitam intentionem non habere.

Ad illustrandum itaque responsum a S. Officio datum, et simul ad originem explicandam dubii a nonnullis Americae Septentrionalis Ordinariis propositi, iuvabit et quaedam saltem documenta afferre quae constantem doctrinam Ecclesiae tradunt circa valorem baptismi a ministro haeretico administrati, et recentem de valore huiusmodi baptismi controversiam perpendere, ex qua dubium enatum esse videtur quod S. Officio fuit propositum.

3° - Doctrina Ecclesiae quaenam, decursu saeculorum, fuerit, ex sequentibus praecipuis constat documentis.

Concilium Tridentinum, dum haereticos damnat qui dicunt baptismum non conferre gratiam et non esse nisi signum gratiae per fidem susceptae (cf. Denz. 849), simul tamen definit: « Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptisma: anathema sit » (Denz. 860). Ecclesia, itaque, agnoscit validitatem baptismi, etiam ubi scit ministrum haereticum errare de natura et fine baptismi. Ac ideo verba « cum intentione faciendi quod facit Ecclesia » indicant ministrum intendere debere actionem quam intendit Ecclesia, non vero naturam vel finem huius actionis.

S. Officium, 17 nov. 1830, ad quaestionem: « An degentes in protestantium locis, ubi baptisma dubium est, tamquam infideles habendi sint, ita ut inter catholicos et eos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censetur », respondit:

1) Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae, debet examinari casus particularis.

2) Quoad alios, qui iuxta eorum rituale baptizant valide, validum censendum est baptisma.

3) Quodsi dubium persistat, etiam in primo casu censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. (Cfr. *Fontes I. C.* IV, n. 869, p. 152-53).

Ubi itaque, debita materia et forma in rituali habetur, simpliciter validus censetur baptismus absque ulla ulteriori inquisitione de animo baptizantis. Immo e contra: ubi rituale circa materiam et formam errat, inquisitio requiritur, num forsan per accidens baptismus validus collatus fuerit.

S. Officium, 30 ian. 1833, in Instructione ad Custodem Terrae Sanctae, agens de quodam dubio, ob defectum intentionis circa validitatem baptismi ab Episcopo schismatico administrati, principium statuit iuxta communem theologorum doctrinam: « Ad valorem sacramenti necessariam non esse eam intentionem quam vocant expressam seu determinatam, sed sufficere tantum generica, nimirum faciendi quod facit Ecclesia seu faciendi quod Christus instituit, vel quod christiani faciunt ». Adducit deinde verba Benedicti XIV, De Synodis, lib. 7, cap. 6: « Caveat Episcopus ne incertam et dubiam pronuntiet baptismi validitatem hoc tantum nomine quod haereticus minister, a quo fuit collatus, cum non credat per regenerationis lavacrum deleri peccata, illud non contulerit in remissionem peccatorum, atque ideo non habuerit intentionem illud conficiendi prout a Christo Domino est institutum ». Quod quidem hoc argumento confirmat Benedictus XIV: « Siquidem cum in Galiis disputatum olim fuerit an ob praedictam rationem rebaptizandi essent baptizati a calvinistis, S. Pius V, ad quem controversia delata est, minime rebaptizandos definivit: sacramenti enim validitatem non afficit privatus ministri error, cui praevalet generalis eiusdem ministri intentio faciendi quod Christus instituit, seu quod fit in vera Christi Ecclesia. Quemadmodum testantur acta Conc. Ebroicensis an. 1576, ubi haec ad rem adnotantur: ... *Pius V definivit verum esse baptisma quo uterentur calvinistae adhibentes formam et materiam institutam a Christo cum intentione generali faciendi quod Christus instituit, licet errarent in particulari interpretatione et singulari intentione,*

ut alii fere omnes haeretici erraverunt vel circa intelligentiam formae baptismatis, vel circa aliquem effectum » (Cfr. *Fontes I. C.*, IV, n. 871, pp. 153-54).

Igitur baptismus non invalidatur si minister, sive ex errore proprio sive ex errore sectae, male intelligit formam, vel male iudicat de natura, effectu, fine baptismi. Prae intentione singulari ministri, quae fere apud omnes haereticos exoritur ex eorum falsa doctrina, praevalet in eodem ministro intentio generalis faciendi quod Christus instituit.

S. Officium, 18 dec. 1872, respondens ad plura dubia a Vicario Ap. Oceaniae Central. proposita, sequentia etiam de baptismo dubia attingit: « In quibusdam locis non nulli haeretici baptizant cum materia et forma debitis simultanee applicatis, sed expresse monent baptizandos, ne credant baptismum habere ullum effectum in animam: dicunt enim ipsum esse signum merae externum aggregationis illorum sectae. Itaque illi saepe catholicos in derisum vertunt circa eorum fidem de effectibus baptismi, quam vocant quidem superstitiosam. Quaeritur: 1. Utrum baptismus ab illis haereticis administratus sit dubius propter defectum intentionis faciendi quod voluit Christus, si expresse declaratum fuerit a ministro, antequam baptizet, baptismum nullum habere effectum in animam. 2. Utrum dubius sit baptismus sic collatus, si praedicta declaratio non expresse facta fuerit immediate, antequam baptismus conferretur, sed illa saepe pronuntiata fuerit a ministro, et illa doctrina aperte predicetur in illa secta ».

Porro S. Officium, antequam dubia solvat, provocat ad effata Benedicti XIV et Pii V supra allata; provocat insuper ad Bellarminum, *De Sacram. in genere*, lib. 1, cap. 27, dicentem: « Concilium Tridentinum... non dicit oportere ministrum intendere quod Ecclesia intendit, sed quod Ecclesia facit. Porro quod Ecclesia facit, non finem sed actionem significat. Denique ex praxi id constat: nam neque vetus Ecclesia rebaptizabat baptizatos parvulos a pelagianis, nec nos rebaptizamus baptizatos a zuinglianis et calvinistis, et tamen scimus omnes istos baptizare sine intentione veri finis, qui est tollere peccatum originale ». Ac tandem ad praefata dubia sic respondet: « Ad primum, Negative: quia, non obstante errore quoad effectus baptismi, non excluditur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Ad secundum, Provisum in primo » (Cfr. *Fontes I. C.*, IV, p. 335).

Itaque ne instructio quidem maxime falsa, data immediate ante collationem baptismi, invalidat Sacramentum, dummodo recta materia et forma adhibeatur.

4° - Haec cum sit certa ac constans Ecclesiae doctrina, ut origo explicetur novi dubii S. Officio propositi, ad recentem con-

troversiam inter quosdam Americae Septentrionalis scriptores agitatam attendi debet, seu ad illam quorumdam horum scriptorum sententiam, iuxta quam, baptismus in praefatis sectis collatus praesumendus est invalidus ob defectum requisitae in ministro intentionis. Etsi enim harum sectarum ministri debitam materiam ac formam adhibeant, tamen quia negant baptismum esse veram regenerationem, (prout sive ex eorum libris theologicis ac liturgicis constat, sive ex inquisitione apud eosdem ministros facta), ideo baptismum administrando hanc regenerationem excludere ipsi intendunt. Haec porro specifica ministri intentio, generalem intentionem faciendi quod Christus instituit necessario destruit: Christus enim baptismum instituit ut spiritualem regenerationem.

Perspecta quidem habent, dicti scriptores, documenta ecclesiastica supra allata, quae profecto hanc ipsorum sententiam indubie excludunt. Putant tamen adesse in recenti doctrina Ecclesiae quandam evolutionem, quam probare contendunt sive Instructione S. Offici, 24 ian. 1877, ad Episcopum Nesquallien. (cfr. *Fontes I. C.*, IV, n. 1050, pp. 366-374), sive Litteris Apostolicis Leonis XIII « Apostolicae curae », 13 sept. 1896, de ordinationibus anglicanis (cfr. *Acta S. Sedis, XXIX* (1896-97), pp. 193-203).

Etenim in Instructione Nesquallien., S. Officium de validitate matrimonii in secta celebrati, praeterquam de baptismi validitate, agens, velut criterium, ad diiudicandum utrum matrimonium habendum sit validum vel non, hanc tradit normam: matrimonium praesumendum esse invalidum si ex rituali formali vel aequivalenti apparet quod aliquid excluditur sine quo matrimonium consistere nequit: puta cum minister sectae, vel ante vel immediate post matrimonium, dat instructionem de natura matrimonii et possibilitatem commemorat divortii.

Sicut, igitur, invalidum praesumendum est matrimonium ubi ex rituali etiam aequivalenti apparet excludi indissolubilitatem, ita a pari, concluditur, baptismus praesumi debet invalidus ubi eadem via ac ratione elucet excludi a ministro regenerationem, i. e. aliquid quod ab ipso baptismi sacramento separari nequit: quod revera fit in citatis sectis.

In Ep. « Apostolicae curae » autem, Leo XIII docet formam qua anglicani utuntur in ordinatione presbyterali: « Accipe Spiritum Sanctum ad officium et opus presbyteri » per se esse rectam, sacramentum tamen non conferri, quia huiusmodi formam anglicani falso intelligunt: negant enim verum Sacerdotium, ac ideo tradere nolunt veram potestatem sacerdotalem.

A pari quoad baptismum in citatis sectis. Etsi enim ipsarum ministri necessariam materiam ac formam adhibeant, tamen quia

regenerationem dare nolunt, ob defectum debitae intentionis, baptismus praesumi debet invalidus.

5° - His tamen aliisque etiam argumentis non obstantibus, quae profecto S. Officium accurate perpendere haud omisit, ab eadem Suprema Congregatione declaratum est in praedictis sectis baptismum praesumendum esse validum. Quod manifesto demonstrat nullam, quoad hoc punctum, factam esse in Ecclesiae doctrina evolutionem.

6° - Talem evolutionem, autem, re vera adducta documenta nullo modo vel docent vel insinuant.

Etenim in Instructione Nesquallien, in qua matrimonio applicatur doctrina de rituali aequivalenti, matrimonium consideratur quatenus est contractus. Iamvero constat quae dicuntur de matrimonio - contractu iam praedicari non possunt de matrimonio - sacramento, et a fortiori non possunt applicari baptismi sacramento.

Reapse dum de matrimonio quatenus est contractus dici debet quod contrahentes sunt causae principales, idem e contra dici nequit de matrimonio quatenus sacramentum, cum sub tali aspectu contrahentes non sunt nisi causae instrumentales gratiae. Praeterea, dum de causis principalibus dicitur quod ut valide contrahant requiritur per se ut cognoscant finem operis et naturam contractus, e contra quoad causas instrumentales, iuxta constantem doctrinam Ecclesiae, dici nequit quod cognoscere debent naturam et finem sacramenti. Inique igitur applicantur baptismo quae in Instructione de matrimonio-contractu dicuntur.

Quod, quam verum sit, ex eo confirmatur quod in dicta Instructione, S. Officium ad Instructionem appellat an. 1872 Vicario Ap. Oceaniae Centralis datam ac supra adductam Episcopum Nesquallien. hortatur ut resolutiones ibi datas sequatur, ac dein pergit: « Videt igitur A. tua quomodo in Ecclesia semper traditum inveniatur, errores quos haeretici sive privatim sive etiam publice profitentur, non esse incompossibiles cum illa intentione, quam sacramentorum ministri de necessitate eorumdem sacramentorum tenentur habere, faciendi nempe quod facit Ecclesia...; et eosdem errores per se non posse inducere generalem praesumptionem contra validitatem sacramentorum in genere, et baptismi in specie, ita ut ea ipsa sola statui possit practicum principium omnibus casibus applicandum, vi cuius, quasi a priori, ut aiunt, baptismus sit iterum conferendus ».

7° - Quoad Ep. « Apostolicae curae », Pontifex, postquam in memoriam revocat suos decessores Iulium III, Paulum IV et Clementem XI ordinationes anglicanas invalidas habuisse ob defectum formae et intentionis declarat se, post studiosissimam inquisitio-

nem in Ordinale anglicanum, « quod caput est totius causae », idipsum pronunciare ex eisdem rationibus.

In primis, quidem, ex defectu formae, dicendae sunt invalidae ordinationes anglicanae. Etenim « Verba quae ad proximam usque aetatem habentur passim ab Anglicanis tanquam forma propria ordinationis presbyteralis, videlicet *Accipe Spiritum Sanctum*, minime sane significant definite ordinem sacerdotii vel eius gratiam et potestatem quae praecipue est potestas consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini »: quae tamen oportet ut significentur a sacramenti forma.

Verum quidem est, quod « forma huiusmodi aucta est postea iis verbis, *ad officium et opus presbyteri* ». Insufficiens est tamen huiusmodi adiectio, monet Pontifex, ad validas habendas dictas ordinationes; et quidem ob duplicem rationem. In primis quia talis adiectio « si forte quidem legitimam significationem apponere formae posset, serius est inducta, elapso iam saeculo post receptum Ordinale eduardianum: quum propterea, Hierarchia extincta, potestas ordinandi iam nulla esset ». Sed etiam quia relata verba, sicut et aliae eiusdem Ordinalis preces munus formae nullo modo adimplere valent. Forma, enim, ad presbyteralem ordinationem quod attinet, significare debet Sacerdotii gratiam, et potestatem quae praecipue est potestas consecrandi et offerendi corpus et sanguinem Domini. At vero, de verbis vel de precibus noviter inductis consulto detractum est quidquid in ritu catholico dignitatem et officia Sacerdotii perspicue designat. « Non ea igitur forma esse apta et sufficiens sacramento potest, quae id nempe reticet quod deberet proprium significare ».

At praeterquam ex defectu formae, etiam ex defectu intentionis Pontifex declarat invalidas ordinationes anglicanas. Huiusmodi tamen intentionis defectus non ex prava intellectione rectae formae arguitur, sed unice ex substantiali mutatione in ritum seu in formam inducta. Scribit enim Pontifex: « Cum hoc igitur intimo formae defectu coniunctus est defectus intentionis, quam aeque necessario postulat ut sit sacramentum ». Quod ita explicat: « De mente vel intentione, utpote quae per se quiddam est interius, Ecclesia non iudicat: at quatenus extra proditur, iudicare de ea debet. Iamvero... si ritus immutetur eo manifesto consilio ut alius inducatur ab Ecclesia non receptus... tunc palam est, non solum necessariam sacramento intentionem deesse, sed intentionem immo haberi sacramento adversam et repugnantem ».

8° - Iamvero quia in memoratis sectis, prout ex dubio S. Officio proposito constat, baptismus confertur « necessaria materia et forma », ideo nullus institui potest parallelismus inter huius-

modi baptismum et anglicanas ordinationes ad ipsius invaliditatem praesumendam.

Firma itaque stat constans ac certa Ecclesiae doctrina circa validitatem baptismi in secta collati, quam in suo responso S. Officium merito urget, quamque in citata Epistula ipse Leo XIII aptissime sic enuntiat: « Quum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, eo ipso censetur id nimirum facere intendisse quod facit Ecclesia ».

Franciscus Carpino
In Pont. Ath. Lateranensi Theol. Sacram. Professor.

DECRETUM

Proscriptio libri

Feria IV, die 8 martii 1950

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in INDICEM librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

« *Abscôndita*, Diário da Irma Inês », compilado por M. da S. Mourão de Freitas, Porto, 1949.

Et Feria III, die 14 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. PIUS Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Exc.mo ac Rev.mo Adsessori Sancti Officii concessa, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 15 martii 1950.

Petrus Vigorita
Supr. S. Congr. S. Officii Notarius

SACRA
CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

Cum Sacerdos Ioannes Dechet officium « Administratoris » vacantis Ecclesiae Neosoliensis e manibus laicorum acceptare acceptatumque inire praesumpserit, Sacra Congregatio Consistorialis praedicto Sacerdoti poenam excommunicationis speciali modo Apostolicae Sedi reservatae infligit atque expresse iubet ipsum vitari debere. Monet igitur clericos ac fideles ut cum praedicto Sacerdote se gerant ad normam canonis 2261 § 3 Codicis Juris Canonici.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 18 Februarii 1950.

Fr. Adeodatus Joannes
S. R. E. Card. Piazza
Episcopus Sabinensis et Mandelensis
a Secretis
J. Ferretto, *Substitutus.*

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

I

PROROGATUR PRO SACERDOTIBUS ADORATORIBUS FACULTAS CELEBRANDI MISSAM POST MEDIAM NOCTEM, OCCASIONE MISSIONUM

Beatissime Pater,

Procurator generalis Congregationis Presbyterorum a SS.mo Sacramento, ad pedes S. V. provolutus, nomine Moderatoris generalis Associationis sacerdotum adoratorum, humiliter postulat prorogationem Rescripti S. Congr. De Sacramentis ex Audientia SS.mi diei 17 Aprilis 1942, n. 1741/42, quo sacerdotibus adoratoribus facultas concessa est Missam celebrandi post mediam noctem, occasione Missionum ab ipsis peractarum, iisdem causis perdurantibus.

Ex Audientia SS.mi diei 11 Julii 1949.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII, audita relatione infrascripti Card. Pro-Praefecti Sacrae Congregationis de Sacramentis, attentis expositis, gratiam prorogationis indulgere dignatus est juxta preces, ea tamen lege ut Ordinarii locorum S. Missae celebrationem media hora post mediam noctem permittere queant expresse, constito sibi prius quod sacerdos piae Unioni adscriptus et Missam celebraturus omnibus statutorum ejusdem Unionis obligationibus satisfecerit; sacrae supplicationes perdurent spatio circiter trium horarum, in his comprehenso celebrationis Missae tempore, servatis in reliquis forma ac tenore praecedentis rescripti.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Praesentibus valituris ad aliud quinquennium.

B. Card. Aloisi Masella, *Pro-Praefectus.*

F. Bracci, *Secretarius.*

II

N. 9468/49

Beatissime Pater,

Exc.mus ac Rev.mus Dominus Valerius Valeri, Archiepiscopus tit. Ephes., Primarii Consilii pro anno iubilari MCML reparatae salutis Praeses, ad pedes S. V. provolutus, humiliter postulat facultatem permittendi per integrum iubilarem annum, celebrationem sacrosancti Missae sacrificii, in viatorum viae ferratae curribus ad peregrinantes exclusive reservatis, sacerdotibus qui eosdem ad Urbem comitarentur, ad eorum peregrinantiumque pietatem explendam, facta insuper potestate pro adstantibus satisfaciendi obligationi de audiendo Sacro diebus dominicis festisque de praecepto.

Postulat praeterea ut praefatis sacerdotibus in eadem Missa liceat S. Communionem fidelibus administrare.

Ex Audientia SS.mi diei 24 Decembris 1949.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII, audita relatione Exc.mi Substituti Secretariae Status S. S., attentis expositis, Exc.mo Oratori gratiam benigne indulgere dignatus est iuxta preces, dummodo locus celebrationis Missae sit decens ac honestus et currus in viae ferratae stationibus consistant saltem ad tres horae quadrantes et de hoc certi sint peregrinationum praefecti, ex promissione habita a moderatoribus ferratae viae praepositis, onerata ipsorum praefectorum conscientia, remoto quocumque irreverentiae, admirationis ac scandali periculo, servatis in reliquis de iure servandis.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Praesentibus valituris ad totum annum iubilarem.

B. Card. Aloisi Masella, *Pro-Praefectus.*

F. Bracci, *Secretarius.*

III

N. 925/50

Beatissime Pater,

Exc.mus Delegatus Apostolicus in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, ad pedes S. V. provolutus, humiliter po-

stulat, pro omnibus Ordinariis eiusdem Foederationis, facultatem permittendi sacerdotibus sibi subditis ad Urbem peregrinantibus occasione anni iubilaris, ut Sacrum in navi litare valeant durante maritimo itinere in accessu ad Urbem et reditu, ad eorum peregrinantiumque pietatem explendam.

Ex Audientia SS.mi diei 2 Februarii 1950.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII, audita relatione Rev.mi Praesidis Protocolli Secretariae Status S. S., attentis expositis, gratiam indulgere dignatus est iuxta preces, dummodo locus ad id delectus nihil indecens aut indecorum praeseferat, oratorium autem, si canonice erectum sit, tum etiam altare et sacra paramenta non inserviant sectis acatholicis, mare sit adeo tranquillum, ut quodcumque absit periculum effusionis sacrarum Specierum e calice, et alter sacerdos, si adsit, superpelliceo indutus, eidem celebranti adsistat, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Praesentibus valituris ad totum annum iubilarem.

B. Card. Aloisi Masella, *Pro-Praefectus.*
F. Bracci, *Secretarius.*

DE IMPLORANDO INDULTO PRIVATI ORATORII EIUSQUE EXTENSIONUM. [1]

§ 1. *Privati sacelli notio concors tum vetere tum novo iure.*

1. Ita recitat canon 1188 § 2: « *Est... oratorium... 3° privatum seu domesticum, si in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectum sit* »: quae quidem verba fere ad litteram videntur deprompta a decreto S. R. C. diei 23 ian. 1899.

Canonistae qui ante Codicem scripserunt, ut privatum oratorium a publico distinguerent, privatum nuncupabant sacellum quod usui privatae domus reservaretur, aditu haud publice patente; quod ex apostolico indulto quibusdam determinatis personis seu familiis sub certis clausulis una cum recognitione et approbatione Episcopi concederetur; in quo unica Missa eaque lecta permitteretur sollemnioribus exceptis diebus, atque vetitis, nisi aliud in indulto caveretur, quorundam sacramentorum administratione et nonnullarum sacrarum functionum celebratione [2].

Haec vero requisita, licet non contineantur in ipsa notione oratorii privati a relato canone tradita, etiam iure Codicis necessario concurrere dicenda sunt in concessione eiusdem, uti patet ex can. 1195 et ex *formulis* indultorum adhibitis ab Apostolica Sede: ad rem igitur concludendum est reipsa vix inter se vetus et novum ius discrepare.

Equidem palam est Instructionem a S. C. de Sacramentis nunc editam moderari postulationes privati sacelli *in quo Missa litetur*, secus enim cuivis fideli iugiter, etiam iure Codicis, expedita perseverat, uti antiquo iure, facultas oratorium in loco propriae habitationis laudabili devotione constituendi rerum divinarum meditationi destinatum, sacrae lectioni ac precibus in Dei, B. M. Virginis et Sanctorum laudem, prout vetusta antiquitate iam erat in usu, uti colligitur a Decreto Gratiani, *c. 33, D. I., de cons.*, quod refert canonem III Conc. Aurelianen. IV sic statuentem: « unicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere et ibi orare, Missam autem ibi celebrare non licet » [3].

2. Ceterum iure quo regimur (cc. 820-823; 1188-1196), locus proprius celebrationis Missae est Ecclesia vel oratorium publicum aut semi-publicum: legi autem de audiendo Sacro satisfacit qui

---

[1] Cfr. *Monit. Eccl.*, LXXIV, 1949, num. un. p. 70 ss.

[2] Cfr. Gattico, o. c., cap. I; Ferraris, l. c., n. 4; Card. Gasparri, *Tract. can. de SS.ma Eucharistia*, n. 188 seq.; *Ephem. Liturg.*, an. cit., pag. 41 seq.

[3] Gattico, o. c., cap. III, n. 16; Card. Gasparri, o. c., n. 205; et passim AA.

Missae adstat quocumque catholico ritu iis locis celebratae, aut celebratae sub dio vel in privatis coemeteriorum aediculis, de quibus in can. 1190: quae ideo aediculae, licet privata sint oratoria, ad hunc finem semi-publicis saltem aequiparantur oratoriis.

Huius generalis praescripti veluti exceptio quaedam continetur in facultate commissa loci Ordinario aut, si agatur de domo religionis exemptae, Superiori Maiori permittendi Sacri celebrationem extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, nunquam autem in cubiculo: « *iusta tantum ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus* » (can. 822 § 4).

Haec vero facultas, inspectis conditionibus quibus eius exercitium subditur, atque arcta interpretatione cui subiacere debet ex responsione Pont. Commissionis Codicis relata in Instr. I, 1, not. 3, tridentinum rigorem adhuc sapere dicenda est.

Sub relatis clausulis cit. can. 822 § 4 loci Ordinarius unius Missae celebrationem concedere potest et in privatis oratoriis (can. 1194).

Ut igitur Missa habitualiter litari in domesticis seu privatis sacellis et ab adstantibus ibi praecepto satisfieri possit, Apostolicae Sedis indulto opus est. Hoc indultum olim dabatur a Secretaria (hodie Cancellaria) Brevium et extraordinarie a S. R. C. Adnotat *Fagnanus* in cap. 30 *de Privilegiis*, n. 18 antiquitus hanc materiam spectasse ad Sacram C. Concilii, postea vero esse Secretariae Brevium reservatam.

§ 2. *Disciplinam privati oratorii a Concilio Tridentino invectam perdiu Sacra C. Concilii moderata est.*

1. Disciplina, qua et hodie utimur, primum inducta est per salutare Concilii Tridentini memoratum Decretum (sess. XXII, *de observandis et vitandis in celebratione Missae*), quod Episcopis sustulit facultatem permittendi Sacri litationem in privatis oratoriis eamque soli Romano Pontifici reservari sanxit. Exinde pleraque abolita fuerunt incommoda atque abusus nec pauca nec levia, quae passim fere ubique grassabantur ob nimis adauctum eorumdem sacellorum numerum, quo fruebantur homines etiam mediocris conditionis, attenta nimia Episcoporum facilitate in concedenda licentia sine ulla limitatione aut cautela, cum consequenti irreverentia et dedecore in ipsa sacrosancta Mysteria. Ista facilitas eo magis invaluerat in Ecclesia Orientali hac praecipua de causa quod in Graecorum ecclesiis unicum extabat altare, super quo postquam una Missa celebrata esset, altera eodem die litari prohibebatur [4].

[4] Bened. XIV, cit. ep. encycl., n. 9-11.

2. Longum sane foret huius disciplinae vicissitudines retexere per plurium saeculorum decursum: sequentia satis superque adnotare sufficiat.

Exsecutioni tridentini decreti pro suo munere privativae illius interpretis incubuit S. C. Concilii, quae omni ope nisa est ut compesceret ingens pondus postulationum quae sibi ab omnibus orbis partibus, haud America exclusa, deferebantur, teste ipso Benedicto XIV, qui secretarii munus obierat eiusdem S. Congregationis (cfr. Instr. I, n. 2). Ast nec propterea inconvenientia omnia, quae tridentini Patres restringuere constituerant, de facto brevi sublata esse exinde coniicitur, quod S. Pontifex Clemens XI, post iam exactos circiter CL annos ab edito tridentino decreto aliud die 15 sept. 1703 [5] vulgare molitus est « *de celebratione in oratoriis privatis* » ad excessus et abusus compescendos, qui adhuc praesertim in Regno Neapolitano vigebant: eoque decreto tridentinam disciplinam enixe confirmavit eiusque observantiam ursit apertissime declarando privilegia Episcoporum, quibus antea pollebant, per illud Concilium fuisse abolita et in posterum ullimode tolerari amplius non licere, atque confirmando poenas in delinquentes ab eodem Concilio statutas.

Ipse vero Benedictus XIV citatam sat celebrem ep. encycl. *Magno cum* diei 2 Iunii 1751 ad Regni Poloniae Ordinarios mittendam censuit post querelas sibi ab iisdem factas de indebita interpretatione privatorum sacellorum disciplinae contra tridentina praecepta, quam disciplinam ad trutinam revocavit, sat ampla et perfusa expositione proposita, suorum decessorum decretis conformem proclamans, sanciendo suo sollemni oraculo integre eandem esse ac religiose servandam, qualibet posthabita personarum acceptione.

3. Eadem S. C. Concilii ut privatorum sacellorum nimiam frequentiam coërceret et reverentiae sacris Mysteriis debitae in iisdem celebrandis aptius consuleret, certas congruentes regulas duxit statuendas, quae in sic nuncupatis *formulis* digessit pro expediendo indulto oratorii domestici. Et quidem communis est DD. sententia eandem S. C. post Trid. Concilium *strictissime* eius verba esse interpretatam.

Sub Sixto V (1585-1590), uti arbitratur Gattico [6], probabilius editae sunt ab eadem S. Congregatione *quinque* sequentes *cautiones*, quas ipse A. invenisse ait in tom. XXVI positionum, fol. 192, a Pontifice ratas habitas, nempe:

« 1) ut oratorium constituatur in loco decenti et clauso visite-

---

[5] Ferraris, l. c., n. 5 integrum decretum refert.

[6] O. c., cap. XX, n. 15.

turque et adprobetur ab Ordinario; 2) ut facultas haec non concedatur nisi viris aut feminis primariis morbo aut alia causa impeditis ne ad ecclesiam accedant; 3) ut in die Paschatis teneatur is, cui conceditur, adire parochialem ecclesiam; 4) ut id concedatur sine praeiudicio iurium parochialium; 5) ut qui ibidem Missam audierint non liberentur ab obligatione accedendi diebus praecepti ad ecclesiam pro Missis audiendis, praeter eos famulos et famulas tantum, qui servito domini, cui facultas conceditur, fuerint necessarii ».

Cautiones huiusmodi litteris apostolicis inserebantur etiam tempore Clementis VIII (1592-1605), quam regulam et posteriores Pontifices secuti sunt, nec immutaverunt nisi quibusdam casibus quorumdam specialium privilegiorum; sub Paulo V (1605-1621) facilius personis nobilibus coepta est indulgeri facultas privati oratorii, quamvis aegroti non essent, sed plerumque in domibus ruri sitis. At S. C. Concilii, de mandato huius Pontificis, die 25 oct. 1615 irritavit licentias omnes celebrandi in oratoriis privatis ab Episcopis concessas et expresse prohibuit ne easdem concedere auderent: immo alicubi suspensae etiam fuerunt facultates huiusmodi a R. Pontifice antea tributae: contrariae consuetudines hic atque illic postea exortae novis decretis Ap.cae Sedis sublatae fuerunt.

Postea inserta est indultis clausula, iuxta quam in eadem habitatione unum dumtaxat exsisteret privatum sacellum pro iisdem indultariis: quae clausula sub Gregorio XV (1621-1623) inserta est et in privilegiis Episcoporum apostolico solio assistentium. Praeterea cum summopere interesse visum fuerit ut etiam aliorum, qui possent privilegium participare, nomina exprimerentur, et simul quo tutius reverentiae divini Sacrificii prospiceretur, sub Urbano VIII (1623-1644) indultum non solum omnes supra recensitas conditiones complectebatur, sed et nomina recensebat indultarii matris, uxoris, nurus, fratrum, filiorum et filiarum, atque indulti tempus determinandum subdebatur Ordinarii arbitrio.

4. Pleniorem *formulam* indulti privati oratorii refert Ferraris l. c. n. 6.

Alteram, quae in consuetis brevibus usurpabatur a S. C. Concilii tempore Benedicti XIV, ipse Pontifex describit in cit. ep. encycl. § 12, qui tamen subdit (§ 13 seq.) quaedam alia expedire contingere brevia, quae extraordinaria appellantur, maioraque amplectuntur privilegia. Hi uberiores favores, quos ad examen revocaverat eadem S. Congregatio et SS.mus confirmaverat iustis de causis concedendos, singillatim et accurate ibi numerantur ut omnis ambigendi circa indulti interpretationem amoveretur occasio et hodie quoque prostant eloquens testimonium impensi studii

illius sapientissimi Pontificis excessus et incommoda omnia a Conc. Trident. deplorata exterminandi prorsus cavendique ne ullimode in posterum reviviscerent.

5. Ceterum in hisce indulgendis privilegiis RR. Pontifices procedere solebant prudentium distributorum instar pro personarum excellentiae diversitate et maiori minorive numero ac perspicuitate meritorum coërcendo amplificandove privilegia ipsa.

Gratiarum diversitas ad haec plerumque reducebatur capita: a) non promiscue omnibus nobilibus permittebantur Missae in domibus urbanis, sed in ruralibus tantum ob maiorem difficultatem accedendi ad publicam ecclesiam: tunc enim validior suppeditabatur causa pro dispensatione; si vero cuidam nobili dabatur facultas oratorii in urbe, eadem tempore infirmitatis dumtaxat coarctabatur, quando nempe e domo egredi nequibat ut ecclesiam peteret; b) de more una tantum Missa, admodum paucis casibus duae indulgebantur; c) excipiebantur maiores anni sollemnitates (Natalis D. N. I. C., Pascha et Pentecostes) et difficilius obtinebatur pro aliis sollemnioribus diebus, nisi causa infirmitatis suaderet ampliationem privilegii: immo ad ostendendam singularitatem extensionis et gravitatem causarum ob quas indulgebatur, saepe et morbi natura ipsa describebatur, quam legimus in multis apostolicis privilegiis, scil. crurum, pectoris, gravis senectutis et similia; d) requirebatur praesentia patris aut matrisfamilias aut praecipui privilegiati et raro extendebatur indultum soli filiorum aut fratrum praesentiae; e) non permittebatur ut privilegio uterentur nisi familiae membra atque ut praecepto satisfacerent e familiaribus (domesticis) hi qui actu indultario necessarii forent.

Harum coarctationum immunia erant privilegia quibusdam illustribus familiis concessa ob peculiarem devotionem aut excellentia merita erga S. Sedem.

Aliae differentiae in hoc consistebant ut privilegium non in forma brevi sed rescripti, ac proinde ad tempus praefinitum, concederetur. Fere nullum ex his privilegiis concessis laicorum familiis dabatur *in perpetuum*, si excipias magnos principes et personas RR. Pontificibus sanguine proxime coniunctas [7].

6. Quaedam vero speciatim sunt animadvertenda quod attinet ad *canonicas causas*, quibus Apostolica Sedes inducebatur ad indulta domestici sacelli concedenda. Supplices preces, quae mittebantur ad S. C. Concilii, serius autem ad Secretariam Brevium, pro impetrando privilegio huiusmodi statim post emendationem tridentinam, insimul coniungere solebant *generis claritatem* aut *dignitatem in republica acquisitam*, cum *gravi infirmitate* aut ali-

[7] Gattico, o. c., cap. XX, n. 8.

quo alio analogo impedimento, quo quis accedere ad ecclesiam prohibebatur: tunc vero indultum, uti diximus, quoadusque infirmitas ipsa perseveraret tribuebatur. Orator autem qui morbi causam proferre nequibat *alias sane valde graves afferebat causas*: v. g. munus magni momenti atque publicum quod ipse obibat, quodque difficilem ipsi reddebat accessum ad ecclesiam, aut magnam distantiam aut nimiam difficultatem vel asperitatem viarum aut alia similia impedimenta.

Ob unum nobilitatis titulum perpauci dumtaxat indultum privati sacelli sperare poterant: uti magni duces et principes, reges atque imperatores. Ad rem conditio statuta a S. C. Concilii et adprobata a Papa Gregorio XII (1572-1585) cavebat ut facultas haec non concederetur nisi viris et feminis primariis morbo aut alia causa impeditis ne ad ecclesiam accederent. Solum cum iis, qui praecelsa dignitate fulgerent multoque magis cum magnis Principibus facilius dispensari poterat, maxime cum non possent non gravia permisceri incommoda in similibus Principibus, si vel ipsi vel ipsorum aulici ministri quotidie ad publicas ecclesias propter sacrificium ire compellerentur.

Progressu temporis mitior facta est disciplina et tunc Pontifices privilegium indulgebant *ob praestita Ecclesiae beneficia* vel *ob bene peracta gravissima officia* vel *ob singularem alicuius in moribus pietatem*. Hac vero postrema propria de causa videtur fuisse concessa S. Philippo Nerio a Gregorio XIV facultas oratorii domestici, eius cubiculo adiacentis, uti memorat Gallonius in eius vita (cap. 13 n. 15). Etiam aliis similibus causis permoti Pontifices hoc indultum largiebantur.

Praeterea non privatam sed *publicam utilitatem* prae oculis habebant ipsi in hac gratia indulgenda iuxta doctrinam a Doctore Angelico traditam (1-2 q. 97, art. 4 ad 1): « quando cum aliquo dispensatur ut legem communem non servet, non debet fieri in praeiudicium boni communis; sed ea intentione ut ad bonum commune proficiat »: in casu autem commune bonum obtinebatur, quatenus ob beneficii collationem multi excitabantur ad similia merita comparanda et ad peculiaria obsequia et opera Ecclesiae utilia peragenda, in quibus publica utilitas emicat [8].

CAESAR ZERBA

(*continuabitur*)

[8] GATTICO, o. c., cap. XIV et XX.

ADNOTATIONES

AD LITTERAS CIRCULARES S. CONGREGATIONIS DE SACRAMENTIS diei 15 augusti 1949 n. 1190/49 Prot. Vg. [1]

1. Prima verba documenti indicant fontes ex quibus desumptum est argumentum litterarum. Sunt vero specimina sententiarum latarum in causis de nullitate matrimonii a tribunalibus dioecesanis vel regionalibus universi Orbis Latino-catholici quae mittuntur quotannis Sacrae Congregationi cum modulis statisticis et una cum animadversionibus vinculi defensorum (Cfr. AAS. 1932, 60 ss).

Uti patet, simplex textus sententiarum necnon animadversionum indicia notabilia praebere valet de peritia e de diligentia judicum necnon vinculi defensorum; licet sine examine universorum actorum non possit plene efformari judicium de concreta habilitate scriptorum vel magis de recta solutione controversiae in casu. Item textus ostendet defectus quosdam et errores — si qui sint — praesertim in parte iuris, eiusque interpretationis.

2. Exemplaria proinde Romam missa, unice titulo documentationis, vel — si mavis — justificationis personarum qui tribunalibus matrimonialibus operam dant, valde sunt utilia; licet agatur de sententiis quae saepe jam executioni sunt demandatae quaeque pertinent potius ad historiam quam ad causas quae modo agitantur. Non enim Sacra Congregatio se immiscere intendit in merito singularum causarum et sententiarum, quae quidem appellabuntur a partibus (si casus ferat) ad competentia tribunalia; sed tantummodo gestit probationem acquirere — quatenus fieri potest — efficacem, tum scientiae juridicae tum sollertiae personarum quae ad decidendas matrimoniales causas incumbunt; ut eisdem, si expediat, auxilio esse valeat, quo perfectius in dies arduo suo muneri faciant satis, iura Magni Sacramenti religiose tuendo, simulque justis fidelium postulationibus, ad normam sacrorum canonum, respondendo.

3. Egregii viri, in Commissionem Vigilantiae super Tribunalia adsciti, quae in Sacra Congregatione per Regnantem Summum Pontificem die 28 octrobris 1940 fundata est; quique tum muneribus sibi commissis tum scientia sunt praeclarissimi, textum sententiarum et animadversionum jam a nonnullis annis unusquis-

[1] Cfr. *Mon. Eccl.*, LXXIV, 1949, num. unic. pp. 98-104.

que pro assignatis nationibus examinant et ponderant; ideoque ex quam pluribus elementis sibi efformare valuerunt ideam generalem sat exactam difficultatum potiorum quas judices experiuntur, periculorum quae passin in causis occurrere possunt, quaeque ad errorem trahere quemque parum cautum vel expertum valent etc. Post maturam proinde reflexionem et accuratum studium ipsi Commissarii rati sunt expedire tum Ordinariis tum judicibus tribunalium matrimonialium quaedam puncta in mentem revocare, ut iis peculiarem attentionem praeberent ad suum officium recte peragendum. Exinde natae sunt praesentes litterae Circulares quae universis Ordinariis Latini Orbis missae sunt; quaeque magna satisfactione et plausu sunt receptae, uti testantur responsiones quae hucusque Sacro Dicasterio ex parte plurium Ordinariorum pervenerunt.

4. Litterae sunt reservatae eo sensu quod tantum diriguntur Ordinariis et judicibus non autem universo populo fidelium; secundo etiam ob materiam quam tractant; quae non modo singularis est difficultatis, sed etiam attentionem elicere potest tantum ministrorum tribunalium eorumque virorum — numero sat exiguo — qui in jure matrimoniali processuali sunt versati.

5. Nunc ad singulos numeros Litterarum. 1 et 2 simul illustrandi videntur quia logice sunt quid unicum: cum insistant in difficultate decidendi causas formales de nullitate matrimonii, ideoque de qualitatibus quae requiruntur in personis ad eas solvendas addictis.

Superfluum videtur hic multum immorari in expendenda difficutate talium processuum formalium, praesertim in comparatione cum processibus summariis. Hi enim, cum evidentibus, necnon documentariis probationibus sint praediti, haud difficilis esse possunt solutionis, sunt enim quasi notoria (c. 1747); quod si in casu aliquo concreto non ea affulgeant evidentia quae a lege requiritur pro summarie declaranda nullitate, reincidit quaestio ad processum formalem (cc. 1990-1991 Instruct. « Provida » — 15 Aug. 1936 AAS, 1936, 313 ss — art. 226-230).

6. In processu econtra formali (exceptis casibus raris, qui quandoque dari tamen possunt) ut genuina factorum veritas plene stabiliatur et certo edicatur quod matrimonium in casu celebratum, et pro valido per tempus plus minus longum passim habitum, fuit econtra nullum ab initio, requiritur fere semper longa et ampla inquisitio cum excussione partium, cum testium inductione, necnon quandoque cum peritiis, cum examine documentorum etc. Evenit saepe ut argumenta allata ad probandam nullitatem ab actore, nempe a coniuge (saepe vero ab *utroque* concorditer coniuge, qui proinde non jam duos habent patronos sed unum tantum qui ambos re-

praesentat et defendit), non sint adeo clara et decretoria ut jam primo ictu oculi vel saltem brevi studio certitudinem pariant de adserta nullitate: item haud frequentes erunt casus in quibus argumenta a defensore vinculi pro validitate matrimonii allata adeo sint evincentia et clara, ut probationes omnes a parte actrice adductas funditus elidant et diruant: in maxima parte causarum id verificabitur quod describit clariss. Muratorius in suo classico libello « I difetti della Giurisprudenza » (Roma 1933, p. 167: « Buona parte delle liti si riduce quasi ad un punto indivisibile. Dall'una parte buone ragioni, dall'altra ragioni buone. S'ha da determinare il giudice. Pochissimo manca perchè egli inclini verso l'una o verso l'altra parte ».

7. Neminem fugit quam grave sit onus coram Deo et coram hominibus judicum, praesertim cum in casu nostro agatur de judicio circa validitatem Sacramenti, nempe de judicio natura sua inalienabili eminenter sacro; non de re temporali, puta de possesione aut de proprietate alicuius rei vel de debito solvendo; in quibus judiciis error, uti patet, non tot mala feret ac in casu nostro, in quo ex una parte tum Sacramenti religio tum persistentia sacri vinculi periclitatur, itemque ex altera immerito impediri poterit ut status spiritualis, non modo saepe unius personae sed plurium, rectificetur.

8. Non mirum ergo si Concilium Tridentinum causas universas de vinculo matrimonii Episcopi tantum tribunali voluerit reservatas eas a judicibus inferioribus omnino subtrahens; et Codex nonnisi collegio trium saltem judicum has causas commiserit (c. 1576 § 1).

Hic esset locus indagandi quaenam sint jura et officia Episcopi non modo in suum Tribunal sed etiam in causis concretis matrimonialibus quae in suo tribunali agitantur.

Fateor non invenisse in auctoribus talem provinciam exploratam, quamvis res certe momento non careat. Si Deus dederit, hoc argumentum ministrabit materiam ulteriori studio. Cum vero sententias emittat Tribunal nomine Episcopi, quis dixerit posse Episcopum de illis non curare, licet sane judicibus necessariam libertatem et responsabilitatem relinquat?

9. Jus autem et officium primum Episcopi est judices nominare qui sint suo muneri pares prudentia, probitate, scientia canonica: hoc vero ei pertinet graviter eius onerata conscientia; eo nempe sensu quod si Episcopus ad officium judicis vocaverit personam non idoneam, indirecte responsabilis erit errorum quos judex ipse patrabit in decidendis his gravissimis causis. Onus hoc Episcopi sane grave est, si quis paulo consideret quam difficile bonus judex inveniatur de facto, quot studia, quae experientia

rerum requirantur ad idoneum reddendum judicem vel pro solvendis quaestionibus tantum temporalibus; quanto magis res ardua erit, cum decidendum sit de quaestionibus spiritualibus, quae sunt saepe stricte cum dogmatibus fidei connexis?

Si haec considerent mature Episcopi, praesertim dioecesium parvarum, ubi rari reperiuntur sacerdotes qui saltem possideant qualitates absolute indispensabiles ad judicandum, si non cum laude saltem tamen sine erroribus inexcusabilibus et sine scandalo et dedecore, puto quod plures non morabuntur in petenda facultate a Sacra Congregatione Sacramentorum deferendi judicandas causas formales suae competentiae ad vicinum tribunal magis idoneum, uti consulit n. 8.

10. In Italia et etiam aliis in locis (Canada, Insulae Philippinae) solutio inventa est notabiliter utilis constituendi tribunalia regionalia vel provincialia, quae cum parvo sint numero, facilius idoneos judices sibi procurare solent.

Oportet etiam ut Episcopi studeant, licet cum notabilibus expensis, sibi efformare quosdam sacerdotes qui tribunali operam quaeant praestare cum competentia, eos mittendo ad Universitates Juris Canonici et praesertim Romam, ubi praxim Tribunalium Apostolicorum, quantum fieri potest, addiscant. Plures revera Episcopi ita nunc agunt, praesertim ex dioecesibus Americae Septemtrionalis, et exinde sperare licet quod Tribunalia talium Regionum in dies progrediantur, sicut ceterum valde profecerunt ultimis hisce annis a statu praeteriti temporis.

Sed de qualitatibus judicum et defensoris vinculi sermo fusior postea redibit.

11. Magni momenti est numerus 3 qui tangit potiores defectus qui ex sententiis emergunt tum in stadio instructorio, tum in stadio decisorio processus.

Ad animadversiones n. 3 praemittenda est consideratio in re fundamentalis quam iam aliquo modo tetigimus.

Maxima pars causarum matrimonialium sub respectu procedurali naturae prorsus singularis sunt, eo sensu quod in eis abest contradictio inter actorem et reum conventum; imo non habentur in maxima parte casuum litigantes sed coactores. Nam tum vir tum uxor unanimiter postulant declarationem nullitatis, ambo asserunt matrimonium fuisse ab initio nullum. Ubinam ergo lis, controversia, contentio? Ubinam contradictorium ex quo veritas, secum partibus confligentibus et argumenta utrimque contraria adducentibus, veluti scyntilla ex oppositis elementis exurgit? Hic unicus adstat advocatus pro utroque coniuge, res sane numquam visa in vera lite vel contentione (puta quando agitur de debito, de proprietate, de possessione) quia semper invenientur duo advo-

cati, quorum unus pro actore alter pro convento decertant. Ille unicus advocatus — uti planum est — meliori quo scit modo argumenta colligit pro nullitate matrimonii, testes indicat audiendos, articulos conficit super quos partes et testes interrogandi sunt etc Si ex altera parte nil agunt defensor vinculi et judex, nempe non indigitant de veritate rerum apud personas quae res scire possunt, quaeque nullum interesse habent favendi coniugibus, non inducunt testes ex officio, non redigunt quaestionaria partibus et testibus proponenda, vel statim ab initio processus vel in cursu instructoriae, statim ac depositiones partium vel testium aliqua dubia vel suspiciones moverunt, quid fiet? Non habebitur processus contentiosus, nempe dialogus inter illam partem quae nullitatem matrimonii affirmat et alteram quae nullitatem denegat, sed nudus monologus eorum qui ad sententiam liberatricem concorditer adspirant. Si autem judex argumenta et probationes habebit solummodo pro nullitate non autem pro validitate, quis non videt quam facile in errorem incidet? Necessarium semper proinde duxit Auctoritas ecclesiastica excitare defensores vinculi et judices ad munus suum solerter adimplendum, ad non concedendum inertiae, quasi defatigati et laboris pertaesi.

12. At quis excipere hic poterit: — Defensor vinculi et magis quoque judex, positionem praevalentem vindicant in matrimoniali processu, eccur eos monere et excitare non autem monere pariter et excitare advocatos partis actricis? Responsio haud difficilis prostat. Non indigent partes nempe coniuges eorumque advocatus excitatione et monitione ut suum munus impigre expleant, quia moventur « interesse » nempe desiderio obtinendi sententiam nullitatis matrimonii, qua obtenta, vel suum statum, si est jam ex nunc irregularis, rectificare poterunt et in Dei gratiam necnon in conditionem in societate honoratam redire, vel si adulterina connubia nondum inierunt, poterunt tamen ad feliciores nuptias transire. Hoc interesse vel desiderium eos impellit ad omnia media, — quae semper utinam licita sint! — recurrere: nulla proinde indigent excitatione, quin imo frena forsan ipsis sunt quandoque ponenda. Non ita res currit ex altera parte, nempe ex latere defensoris vinculi et judicis, qui nullum habent, nec habere possunt, interesse in causa, sed unice obligatione tenentur suum munus adimplendi. Plures vero sunt modi quo aliquod munus impleri potest, diligentia nempe summa, bona, mediocri, parva. Pauci forsan exigent a defensoribus et a judicibus ut summam, exquisitam adhibeant diligentiam, et tunc saepe eorum munus evadet crux, quae fere heroicam postulabit virtutem; at certe diligentiam bonam, nempe patrisfamilias, ab eis exquirit Ecclesia ut veritas in processibus tam gravibus attingatur, neve illis fraudibus vel falla-

ciis locus relinquatur, quae memorant nostrae Litterae referentes verba Instructionis S. Congregationis diei 23 decembris 1929 quae aspera et fortia videbuntur lectori, quaeque indicant gravem indignationem contra fraudes in hisce causis quandoque attentatas.

13. Ex defensoribus vinculi et judicibus requiritur activitas prudens sed impigra ad detegendam genuinam factorum veritatem in stadio instructorio causae. Ad veritatem inveniendam inservire saepe poterit inquisitio in locis, in domibus ubi coniuges sunt bene noti, interrogando personas quae nil de mota causa sciunt vel curant, utputa aedituos, janitores, vicinos etc. Nonnumquam evènit ut pauca verba talium personarum lucem rebus attulerint et viam edocuerint qua machinationes coniugum facili negotio dirutae sunt. Judex ne omittat interrogare, si qui sint, propinquos coniugum — quos suspicari licet de factis edoctos — qui tamen non sunt citati a coniugibus. Eorum omissio enim saepe pendet ex eo quod coniuges eos sciunt, vel saltem suspicantur, nullitati matrimonii adversos. Quandoque etiam officiales Pubblicae securitatis praetiosas notitias, de quibus ex actis nec longinqua forsan suspicio exurgit, ministrare possunt. Tales inquisitiones fieri possunt saepe — imo expediet ut fiant — sine ullo strepito, sed extrajudicialiter; postquam vero judex argumenta desumpsit quae utilia esse poterunt pro veritate, ad officialem inductionem et interrogationem talium testium deveniet, ut in actis causae appareant. Hae cautiones necessariae praesertim erunt quando, ut saepe fit, nullitas matrimonii expetitur, puta ob vim et metum, ob simulationem, post plures annos ab inito matrimonio dilapsos, quando facilior est error judicis, ob oblivionem quae facta allata cooperuit, ob mortem possibilium contradictorum coniugum, ob opportunitatem quam coniuges habuerunt instruendi testes juxta thesim suam, creandi atmospheram sibi favorabilem inter cognatos et notos, aliquando etiam apud ecclesiasticos viros, quos de sua causa acturos praevidebant.

14. Oportet ideo ut judex cum vinculi tutore sint non modo scientia, sed etiam — dixerim potius — prudentia, sagacitate et experientia mundi praesentis praediti. Ingenui judices, etsi viri sanctissimi forsan, imo praecise quia utpote intemeratae et innocentis conscientiae nec suspicari valent quam magna sit aliquando humana malitia (hisce praesertim temporibus in quibus Dei timor ehu! tam raro invenitur) nonnumquam pietatem ne dixerim risum moverunt, dum misere in foveam illis paratam a partibus, abreptis desiderio nuptias dissolvendi, plena bona fide, imo intima satisfactione quasi proximi angustiis medelam attulerint, cadebant, edicentes nullum matrimonium ex fictis et artificiosis probationibus convicti. Ceterum puto quod hi casus rari nunc sint; quod etiam

indirecte probatur a formidine qua afficiuntur nostrum forum adeundi coniuges qui fraudolenter nullitatem sui matrimonii assequi optant. Uti pernotum est enim, tales conjuges toto nisu contendunt accurrere ad civilia tribunalia potiusquam ad ecclesiastica (sufficit recolere recentes processus dominorum Rossellini, Mazzola, Terracini) dum econtra competens fuisset Tribunal ecclesiasticum. Hoc manifeste probat quod laudatae personae persuasionem fovebant sibi impossibile fore a tribunalibus ecclesiasticis obtinere sententiam nullitatis matrimonii, quam sciebant haud validis fundari argumentis.

Quod sane est maximum elogium pro nostris tribunalibus ecclesiasticis, quamvis sint adeo minoribus mediis temporalibus instructa quam tribunalia civilia.

15. Nec tamen quis credat iudici expedire ut sit adeo suspiciosus et cautus ut ubique insidias et fraudes conspiciat, etiam ubi econtra extat sinceritas et veritas. Hic esset alius excessus, quia immerito reiicientur justae postulationes fidelium, cum gravi eorum damno. Ille etiam animi status similis Danielis in fovea leonum exercitium judicandi reddet non modo fastidiosum sed fere intolerabilem. Etiam hic « sit modus in rebus: sunt certi denique fines ... ». Cordatus judex haud multum ordinarie adlaborabit in secernenda stipula a grano, vel — si mavis — zizaniam a frumento. Nam veritas sincera habet in se aliqualem splendorem qui nec fucis nec emptis coloribus aequari vix aut ne vix quidem valet, pro viris saltem « emunctae naris », non ita pro illis crassae minervae!

Momentum stadii instructorii processus tam magnum est, ut superfluum sit amplius in re immorari: ex eo enim pendet, maxima saltem ex parte, etiam stadium decisorium eiusdem processus.

16. Carpit epistola uniformitatem seu mecanicitatem quae in pluribus deprehenditur sententiis tum in expositione juris, tum potius in applicatione juris ad factum, in qua consistit pars potior laboris judicis. Animadvertit epistola quod postea sequentibus numeris magis explicat, plures sententias non esse aliquid unum in se, nec expressionem persuasionis a judice haustae ex actis, sed saepius nudam compilationem vel juxtapositionem excerptorum probationum, nempe depositionum, peritiarum, documentorum et ita porro, sine valutatione talium probationum, sine discussione de eorum valore, de eorum concordia cum aliis elementis quae in actis extant etc. Qui legit tales sententias insatisfactus manet, et suspicatur judicem extendisse sententiam quia ad hoc erat obligatus, sed non fuerunt revera argumenta quae exponit, illa quae eum determinaverunt ad declarandam validitatem vel invaliditatem matrimonii in casu; secus lector tenere deberet quod judex sibi efformavit conscientiam certam ex argumentis sat debilibus; quod

ipse aut non habuit tempus aut non habuit voluntatem paulo profundius quaestionem indagandi et meditandi; adeo eius ratiocinatio apparet aliquando superficialis et limitata. Attamen agitur de « negotio maximae gravitatis » de quo in can. 1791 § 2.

17. Ut numerus 4 animadvertit, non communis peritia requiritur in judicibus etiam quia fere omnes probationes in processibus matrimonialibus reducuntur ad partium et testium depositiones. Depositio partium in quantum militat contra valorem matrimonii non est apta ad probationem constituendam (art. 117 Instr. « Provida »), quamvis certe ministret necessaria elementa facti, ulterius per testes corroboranda, ut valeant ad gradum probationis adsurgere.

Circa valorem depositionum testium pernota est doctrina recentiorum praesertim juristarum, quae quam minimum momentum solet talibus depositionibus per se tribuere, et videtur eo usque pervenire ut supponat testes saepius mentiri quam verum asserere. Iste scepticismus exaggeratus videtur, praesertim in foro canonico, sed certe de facto, experientia nos docet frequentes esse testes qui deponunt non tam quae vera sunt, quam quae utilia putant ut coniuges in causa — eorum forsan propinqui vel amici — libertatem a vinculo, utcumque, acquirant. Istum modum agendi (quamvis dicti testes emittant, et quidem bis, jusjurandum de veritate dicenda et dicta) plures ex illis testibus non credunt esse deceptionem Ecclesiae, et culpabile coram Deo mendacium, sed opus caritatis, quia id faciunt ut amicum in necessitate versantem adiuvent. Evenit proinde ut deponant quae non viderunt asserentes se vidisse audisse etc. vel saltem frequentius exaggerant, puta minas et pressiones parentum in filiam ut invisum matrimonium iniret; collocant tempore ante matrimonium ea quae post infelicem exitum matrimonii effutiri forsan audierunt, et ita porro.

18. Neminem sanae mentis fugit necessitas ut judex advigilet, interrogationes ex officio, quatenus expediat, incontinenti in actu excussionis addat, praesertim si deprehendat variationem inter depositiones testium et partium et magis quoque si testis vacillet nec sibi plene cohaereat, vel plus dicat quam ipsae partes. Praecise in habilitate interrogandi deprehenditur acumen et sollertia judicis et respective defensoris vinculi. In causis matrimonialibus autem, cum fere semper desit verum contradictorium quia coniuges unanimes sunt in expetenda nullitate, defensor vinculi et judex supplere debent advocatum conventi, quantum saltem possibile est; quia revera, quidquid faciant, numquam fere agent ea diligentia et sollertia quas probabiliter adhibuisset advocatus a coniuge electus qui ceterum, si negligens videatur, a coniuge poterit dimitti et cum alio diligentiore substitui. Patronus enim conventi rigoroso

cribro subiiciet omnes depositiones partis adversae eiusque testium, probationes probationibus contrariis elidere sataget, excipiet de testium credibilitate et veracitate, pro illis quaestiones aptas ad eos in difficultatibus collocandos, si mentiantur, proponet etc. Haec omnia peragere debet, cum moderamine quidem, uti res in concreto postulare videtur, judex, consulente plerumque vinculi tutore. Pericula, uti patet, in immensum crescunt deceptionis, si facile judex admittat, clausis oculis, petitiones supplementi actorum a patrono coniugum propositas, postquam, actibus publicatis, detexit quasdam manere difficultates, vel probationes in aliqua parte deficere. Equidem modo fundata adesse poterit suspicandi causa quod depositiones tum partium tum testium sint insincerae et suggestae ad supplendas lacunas actorum, vel ad diluendas difficultates ex actibus emergentes contra nullitatem vinculi.

19. N. 5 loquitur de peritiis quae a Judice non debent accipi uti oraculum delphicum, at discreto subiici examini, quia quamvis « peritis in arte credendum est » ipsi non sunt conjudices, verum tantum testes aliquomodo qualificati. Quanta requiritur et in peritiis perpendendis prudentia judicum, praesertim in causis in quibus frequentius occurrunt nempe in causis impotentiae et amentiae! Experientia enim docet peritos — etsi optimae notae — quandoque vel non respondere quaesitis juridice exactis, vel saepius quoque, subire influxum nimium clientium suorum, ita ut eorum peritia, puta de impotentia, de inconsummatione, fiat confirmatio vel docta expositio enarrationum coniugum potiusquam relatio de obiectivo statu corporeo partium. Quanti valeant plures ex istis peritiis probatur abunde ex facto quod non raro evenit. Agitur processus de inconsummatione matrimonii: peritia describit virum uti potentia non jam dubia sed fere nulla praeditum: verbis peremptoriis loquitur forsan de immedicabilitate talis impotentiae, quae asseritur causam fuisse inconsummationis in casu.

Conceditur dispensatio matrimonii, utpote tantum rati nec consummati, cum vetito tamen pro viro ineundi novas nuptias inconsulta Sancta Sede. Transeunt vero nonnulli menses, forsan tres vel quinque tantum, vir postulat remotionem vetiti. Jubet tunc Sacra Congregatio ut vir denuo inspiciatur ab ipsis peritis qui eum antea inspexerunt, et tam infaustam prognosim de sua potentia peregerunt: et en miraculum! iidem periti, qui tam peremptorii in viro definiendo impotente vel semipotente fuerant, nunc eum inveniunt robustum, aptissimum ad coeundum! Haec est res non rara, quae sane quemlibet moderate saltem scepticum reddet circa nonnulla peritorum responsa.

20. Numerus 6 tangit testium credibilitatem. Quidam Judices praesumunt fidedignos omnes testes: quod utinam obiectivo rerum

statui responderet! Generatim in nostris causis testes habent testimonium credibilitatis sui parochi qui eos edicit religiosos, bene moratos et incapaces pejerandi. At quinam est aliquando valor talium testimoniorum parochi? Experientia docet quandoque talia documenta exacta esse et quandoque esse erronea. Si agatur de locis parvis ubi personae sunt parocho bene notae, eius testimonium, dummodo sit secretum et explicitum, momentosum praesumi valet, praesertim si circumstantias non genericas de persona testis contineat. Dixi « secretum », quia saepe parochus abstinebit a judicio proferendo nimis decretorio, praesertim si esse debeat parum testi favorabile, eo quod timeat molestias plus minus graves, sive a teste, sive potius a coniugibus, si eius qualificatio postea cognoscetur, quod quidem facile eveniet ope advocati coniugum. Ideo in maxima parte casuum parochus declarabit se persuasum esse d.num A vel B non esse talem ut sub juramenti fide falsum deponat in judicio, ceterum se expediet brevibus verbis. Quis vero erit ille parochus qui non possit declarare vel de pessimae notae viro, se credere illum incapacem pejerandi? Ad hoc nos obligat caritas christiana: cum nemo adeo malus putandus sit nisi probetur: nemo autem ex his testibus jam damnatus est ob falsas depositiones. Quod verius quoque est in magnis civitatibus, ubi parochus parum cognoscere solet maximam partem suorum paroecianorum. In magnis urbibus ad decipiendam justitiam ecclesiasticam aliquando coniuges, ad hoc edocti a patrono, antequam causa initium caperet, de industria ad parochum accesserunt ad eum salutandum et ad offerendam aliquam eleemosynam pro ecclesia, eo fine ut quando parochus a Tribunali interrogabitur de qualitatibus religiosis et moralibus eorum, favorabiliter respondeat. Artificium quidem elaboratum et rarum, at non impossibile!

21. Quoad veracitatem testium sicut et partium puto quod judex acquirere poterit notitias solidiores ex sua discreta indagine in loco ubi ipsi vivunt et apud personas vicinas quae eos bene norunt nec ullum interesse decipiendi Tribunal habent: quod erit facile in parvis locis, difficilius at minime impossibile et in amplis urbibus. Ceterum partes et testes circa suam credibilitatem testantur ex se ipsis, ex modo quo responsiones reddunt, ex candore et sinceritate quam ostendunt, ex constantia et coherentia factorum quae narrant etc. Judex, qui non sit jeiunus psychologiae practicae (quae tamen vix addiscitur in libris vel in scholis) haud multum adlaborabit in qualificanda magna saltem parte personarum excussarum. Inter quas tamen semper adesse poterit deceptor, qui mendacia proferre maxima arte et nimio candore valet, praesertim si femineo pertineat sexui, adeo ut in errorem inducat etiam « *electos* »!

22. N. 7 illustrat specialem cautelam quam judex adhibere debet in causis in quibus coniuges nullitatem matrimonii probare conantur ex positivo actu de quo in can. 1086 § 2, cui proxime accedit etiam nullitas quae repetitur ex can. 1092, in primo enim casu saepius agetur de errore quam de actu claro et determinato voluntatis; in secundo casu non de vera conditione sed potius de causa vel modo.

Utcumque semper exquirere iudex debebit in talibus causis, sicut etiam in capitibus vis et metus, documentum praematrimoniale examinis sponsorum, redactum juxta normas Instructionis « Sacrosanctum » diei 29 junii 1941. Nemo non percipit quam magnus sit valor talis documenti jurati, peracti in ipso nuptiarum pervigilio et a coniugibus subsignati. Tam momentosum illud extat, ut in civili foro nemo contra illud venire in judicio permitteretur, nisi probet coactionem passam in eodem redigendo.

23. N. 8 cautiones suggerit in admittendis advocatis, qui esse debent personae omni exceptione majores. Ordinarii justis gravibusve de causis facultatem patrocinandi eis auferre valent, provisione mere administrativa. Suggeritur ut de hac facultate Ordinarius expressam mentionem faciat in actu ipso admissionis advocati. Ubi idonei extant sacerdotes, qui patrocinium exercere valent, hi sunt praeferendi pro hoc munere, etiam ut partes pauperes leventur expensis, quia dicti sacerdotes modicam retributionem accipient unice ab ipso tribunali non a privatis litigantibus; ideoque multa vitabuntur pericula.

24. Reditur in eodem numero 8 in litt. b) ad judices eorumque qualitates et referuntur verba non modo sapientia et acumine praeclara Regnantis Summi Pontificis sed et eloquio mire concinna. Vult Sanctus Pater ut Judex inflammetur amore justitiae et veritatis et ab hoc splendido sidere in omnibus actionibus suis dirigatur, non declinans ad dexteram nec ad sinistram. Verba Summi Pontificis adeo sunt clara et efficacia ut putem irreverentem quamlibet eorum explanationem.

Neque glossa indigent verba eiusdem Summi Pontificis ad n. 11 relata circa defensoris vinculi activitatem, cuius munus requirit « experientiam vitae et judicii maturitatem ».

Quod magis improbandum esset in defensoribus vinculi, esset inertia in stadio instructorio processus et superficiale studium actorum cum redactione animadversionum quae rebus non respondent, sed potius artificiosa et futilia continent argumenta, ad rem parum attinentia, et utcumque veritatem factorum non illustrantia. Oportet ut argumenta defensoris vinculi in tutelam matrimonii sint bona, fundata nempe non somniata, neque ex nihilo creata, quia si defensor vinculi afferre solet tantum argu-

menta futilia, a judice non audietur, imo spernetur forsitan etiam quando in causa justae rationes pro vinculo revera adsunt. Si in aliqua causa nullitas appareat fere evidens et desunt bona argumenta pro validitate, bonum erit si vinculi defensor breviter se expediat, quasdam deficientias notando quae numquam fere desunt in hisce causis, saltem in procedura, potiusquam congerat obiectiones in aequivoco fundatas vel penitus artificiosas: hoc vero optandum est non solum pro veritate tuenda sed etiam in bonum ipsius vinculi, quod maximum damnum reportabit si eius defensor passim a judicibus retineatur cavillosus, sophisticus, uno verbo parum auditu dignus.

25. Punctum quod tangit n. 12 magni est momenti: oportet enim ut haec lites aeternae non fiant, sed resolvantur illa sollicitudine quam materia permittit. Judex ergo et ministri tribunalis debent munus suum sine pigritia peragere et causas instruere et decidere intra terminos duorum annorum in prima instantia et unius anni in secunda.

Dicendum vero est quod saepe excessivae morae in his causis dependent a partibus ipsis et ab eorum patronis, qui non oboediunt prompte praeceptis tribunalis, incidentia futilia movent, probationes et testes afferre postulant nimios vel inutiles, non scribunt defensiones praescripto tempore, et ita porro. Postea autem ipsae partes eorumque patroni corripiunt Tribunal ob tarditatem, quam ipsi econtra causaverunt. Nil dicam de frequenti applicatione can. 1903, qui fere semper invocatur a coniugibus, rarissime a vinculi defensoribus.

26. Argumentum quoque n. 13 maximi sane est momenti nec facilis solutionis. Pernotum est quidem Status magnam pecuniam quotannis impendere pro suis tribunalibus, ut nempe stipendia judicibus solvant, ut aedificia ipsa Tribunalium (saepe magnitudine et arte summe conspicua) erigant et conservent. Ecclesia econtra nihil vel fere nihil saepe pro tribunalibus expendit (exceptis Apostolicis), saltem in nostris nationibus Europae; quia revera nonnullae dioeceses (ex. gr. Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis) notabiles summas pro suis tribunalibus generose expendere solent; quamvis ibi sacerdotes qui tribunali dant operam etiam qua advocati, nullam, aut modicissimam mercedem recipiant. Ipsi vero sacerdotes feliciter aliunde ad vitam necessaria praesto habent; non ita autem saepe evenit in nostris Nationibus Europae, ubi proinde plures sacerdotes, qui apti essent ad judiciaria munera laudabiliter sustinenda, prohibentur Tribunali dare operam, quia per totam diem sunt in aliis ministeriis occupati, ex quibus alimenta — dicet modica — retrahunt, dum e Tribunali

nihil aut fere nihil traherent, sed tantum labores necnon forsan et molestias.

Facili proinde negotio explicatur difficultas providendi tribunalibus, quae in maxima parte dioecesium Europae persentitur. Ceterum impossibile est, etiam si divitibus imponantur graves taxae, ut justitiae administratio fiat activa seu lucrosa, vel saltem solvat per se ipsam suas expensas; semper enim manebit plusminusve passiva, nempe dispendiosa. Hic vero impossibile extat indicare quaenam esse possint media practica inveniendi pecuniam pro tribunali. Hoc remittitur prudentiae Episcoporum, qui juxta adiuncta suae dioecesis ponderosum problema saltem ex parte solvere curabunt. Saepe ubi Episcopi mercedem tribuere non valent, possunt tamen aliis compensationibus alterius ordinis labores judiciales praemio afficere, ex. gr. beneficia optabilia post aliquot annos iudicibus conferendo, honorificentias tribuendo... siquidem verum esse potest etiam hic horatianum « Honor alit artes ».

27. Concludendo has inconditas adnotationes, liceat referre quaedam excerpta ex opere jam citato summi Muratorii, cuius hoc anno bicentenaria a morte recurrit commemoratio. Lectores ita a fastidio quod nos eis attulimus recreabuntur peracutis observationibus patris italicae historiae, qui tamen generatim quando loquitur de judicibus non intendit loqui de sacerdotibus judicantibus de causis spiritualibus, sed potius de judicibus civilibus et criminalibus laicis.

Postquam Muratorius (cap. VII) memoraverit necessitatem in judicibus timoris Dei, dilectionis erga veritatem, et absentiae interesse privati addit: « Non già che solamente dei Santi abbiano a sedere sui tribunali, perchè di questi scarseggia forte il mondo; e poi sono ottimi bensì i Santi a pregar Dio per noi; ma per fare i giudici e ministri di Stato non so se a molti potesse mancare l'abilità. Certo ne mancherà loro la voglia. Altro dunque per questo conto non si ricerca se non che il giudice sia persona di buona coscienza. Guai se l'ambizione; o sia la sete degli onori e di posti sublimi, il domina: farà di tutto per andare innanzi, vilmente servirà a chi potrà innalzarlo; nè vorrà guastar la sua fortuna. Guai se vendicativo: verran dei casi ne' quali non saprà guardarsi dal fare in sentenziando vendetta. Guai se dissoluto: non resisterà alle raccomandazioni. Se superbo, e massimamente se pregno del suo gran sapere: riuscirà ostinato nei suoi sentimenti, sprezzatore degli altrui; e così discorrendo » (p. 102-3).

Vult Muratorius in judicibus quod ille appellat « il *giudizio scientifico* » quod ita describit: « Consiste in una penetrazion di mente che sa argomentare dagli universali a i particolari, e ravvisar le differenze, che passano fra l'un caso e l'altro; che può

conoscere la forza delle circostanze, capaci di far mutare l'aspetto delle cose; indagare e scoprir le intenzioni degli uomini mal'espresse ne gli scuri lor testamenti e contratti; ed è capace di ben distinguere ciò, che è ragione o sofisma, superfluo o utile, per fondare un retto giudizio. Senza di questo importantissimo fanale potrà ben taluno fare l'avvocato o il giudice, ma facile troppo sarà, che urti in iscogli; e dee palpitar il cuore a chi si fida dé consulti dé primi, ed aspetta sentenza dagli ultimi » (p. 105).

28. Sed en excerptum sat longum, quod tamen non injucundum lectoribus evasurum spero, quodque sit veluti conclusio adnotationum: « Ho conosciuto giudici, che s'erano logorato il capo in leggere libri di giurisprudenza, ed aveano sotto mano zibaldoni grossissimi di conclusioni e notandi, tutti scritti dalla loro infaticabil mano... Saran pure stati gran dottori. Certamente erano creduti tali. E al sentir poi che sfibbiavano tanti paragrafi, tante decisioni, ed altre autorità legali, non si potea a meno di tenerli per arche di sapere. Ma per disgrazia mancava loro il meglio, cioè quel giudizio di cui ora parlo. Non sapevano essi trovar le ragioni e le diversità delle cose; dette anche dagli altri non entravano queste nelle ristrette lor teste. Possedevano gran copia di conclusioni, ma senza conoscere, quai calzari si dovessero applicare a i diversi piedi. L'ordinario contegno di questi tali, che raziocinar non sanno, suol essere di far gran capitale dell'autorità de i dottori e de i tribunali che han deciso su quelle controversie. Quanto più lunga è la fila degli autori allegati, tanto più si figurano essi d'aver trovato il sicuro fondamento di decidere... Chi ha giudizio scientifico, s'appiglia a quello, che sembra più ben corteggiato da forti ragioni; e talvolta avverrà che due o tre autori classici meriteran di prevalere ad una lunga filza d'altri inferiori di mente e di sapere, che spesso son copiatori di quello che altri han già detto, e forse male. La conclusione di tutto questo si è, che a giudicar rettamente, per quanto comporta la debolezza degli umani ingegni, è da desiderare una mente perspicace, che sappia penetrar nelle fibre delle cose, discernere la varietà delle medesime, e delle loro circostanze, e adattar le leggi, e le massime o conclusioni, che convengono a quel caso particolare, e non converrebberro forse ad un altro; ma una mente infine, che sia atta a scandagliar nelle parole equivoche e mal concertate dé testatori e dé contraenti la vera e natural intenzion dé medesimi. Ma non si figurassero menti tali di poter da sole sciogliere i gruppi delle liti senza il sapere.

S'ha da unire insieme queste due ruote; l'una senza l'altra non farà buon viaggio. Molte son le leggi fondate sull'unica volontà dé legislatori, e à bell'ingegni non tocca di riformar queste leggi, né di cavar dal loro cervello ragioni da sentenziar diversa-

mente, perchè dove comandano i superiori, cessa la nostra speculativa, e conviene ubbidire, decidendo come han voluto i legislatori, e non come parrebbe più convenevole alle nostre gran teste. Altrimenti quei non saranno più i legislatori, ma saremo noi: il che non è da comportare. Si suol anche talvolta osservar de i giudici, che si chiamano cocciuti, cioè ostinati nel primo interno giudizio, da essi formato nella proposta controversia. Può ben sfiatarsi un dotto e prode avvocato per produrre ragioni, capaci di far loro mutar opinione: non la muteran certo. Più testa, più intelligenza si credono essi di possedere, che quanti avvocati possa mai produrre il Foro; e se mutassero parere, sentirebbero bisbigliare la lor superbia con rinfacciar loro d'essersi ingannati. E pure ognun dé giudici é tenuto a sapere che la docilità è virtù essenziale dé giudici, nè si ha mai da risolvere, prima d'aver ben intese e scandagliate tutte le ragioni delle parti, nè mai da aderire sì fermamente ad un'opinione, che non si sia pronto a mutarla per ragioni più vigorose, che sopraggiungano » (pag. 105-108).

VICTORIUS BARTOCCETTI

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM

DE CONFIRMATIONE ADMINISTRANDA IIS, QUI EX GRAVI MORBO IN PERICULO MORTIS SUNT CONSTITUTI.

Post latum a Sacra Congregatione de Disciplina Sacramentorum decretum « Spiritus Sancti munera » diei XIV Septembris an. 1946 (Cfr. Acta Apostolicae Sedis, vol. *XXXVIII*, 1946, p. 349) ad Sacrum hoc Consilium Christiano nomini propagando plures Ordinariorum missionum preces, ad easdem amplioresve facultates obtinendas, pervenerunt.

Quas SS.mus D. N. Pius Div. Prov. Papa XII, in Audientia diei *XVIII* huius mensis, referente infrascripto Cardinali Praefecto, benigne suscipere dignatus est.

Omnibus itaque Ordinariis locorum ab hac Sacra Congregatione de Propaganda Fide dependentibus potestatem Sanctissimus fecit, absque praeiudicio ceterorum indultorum quibus in re iam fruuntur, ut Sedis Apostolicae indulto (can. 782 § 2), tribuere valeant omnibus sacerdotibus sibi subditis curamque animarum gerentibus, facultatem sacram Confirmationem fidelibus sive adultis sive infantibus, intra fines missionalis circumscriptionis exstantibus et in mortis periculo constitutis, valide ministrandi; nec non licite in ipso loco residentiae Episcopi, absente tamen quolibet Episcopo vel legitime impedito; servataque formula a Rituali Romano statuta.

Praesens vero decretum eadem Sanctitas Sua confici publicique iuris fieri mandavit.

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Congr. de Propaganda Fide, die 18 mensis Decembris, anno Domini 1947.

P. Card. Fumasoni Biondi, *Praefectus.*

C. Costantini, *Arch. Thedos. in Arcadia, a Secretis.*

(*Acta Apostolicae Sedis*, XL (1948) p. 41).

ADNOTATIONES

Post decretum « Spiritus Sancti munera » latum a S. C. de Disciplina Sacramentorum die 14 septembris an. 1946 (Cfr. Acta Ap. Sedis, XXXVIII (1946) p. 349) Sacra Congregatio de Propaganda Fide opportunum duxit easdem facultates immo ampliores concedere pro missionum territoriis. Imprimis notandum est decretum S. C. de Disciplina Sacramentorum nullam mentionem facere de territoriis missionum. Et hoc animadvertitur quia concessiones factae circa administrationem confirmationis moribundis quam maxime cedunt in bonum animarum christifidelium qui in missionis territoriis ob vastitatem dioecesium vel quasi-dioecesium difficilius illud sacramentum recipere valent. Praecedenter vero eadem S. C. de P. F. facultates circa rem iam concessit pro Sinis, uti scriptum videmus in art. 273 Concilii plenarii sinensis anni 1924: « Ordinarii loci ex Indulto Apostolicae Sedis delegare possunt omnibus suis sacerdotibus facultatem administrandi valide et licite sacram confirmationem fidelibus sive adultis sive pueris in articulo mortis constitutis, etiam in loco residentiae Episcopi, absente tamen quocumque Episcopo vel gravi de causa impedito ». Insuper eadem S.C.D.P.F. art. 3 Facultatum decennalium Ordinariis missionum dat indultum id genus: « Concedendi facultatem administrandi Confirmationis Sacramentum uni vel alteri ex suis sacerdotibus (i. e. omnino paucis et ita ut in eadem statione unus tantum sacerdos hanc facultatem habeat), in quacumque regione a sua residentia longe dissita, absente tamen quocumque Episcopo, servata Instructione « De Sacramento Confirmationis » in Appendice Ritualis Romani inserta. (Cfr. X. Paventi, *Brevis Commentarius in facultates S. C. D. Prop. Fide*, Romae 1944). Quae facultates adhuc vigent.

Decretum S. C. de Prop. Fide quoad formam concessionis funditus differt a decreto S. C. de Disciplina Sacramentorum. Hoc directe concedit facultatem parochis territorialibus, vicariis actualibus et oeconomis ac sacerdotibus habentibus plenam animarum curam cum determinata ecclesia cum omnibus iuribus et officiis parochorum. Illud, vero, facultatem directe concedit omnibus Ordinariis locorum a S. C. de Prop. Fide dependentibus. Quae differentia notatu digna est nam in pluribus territoriis missionum non habentur nec parochi nec quasi-parochi nec multo minus vicarii actuales, oeconomi et capellani illi, de quibus loquitur decretum S. C. de Disciplina Sacramentorum. Fere ubique in missionibus habentur plurimi missionarii qui curam animarum exercent in amplissimis territoriis dioecesium et quasi-dioecesium, nullam ef-

formantibus paroeciam vel quasi-paroeciam, ut cooperatores Ordinarii, a quo amplissimas facultates accipiunt. Qua de causa S. C. de Prop. Fide, ad hoc ut facilius omnes casus particulares comprehenderet, opportunius duxit concedere facultatem in re Ordinariis pro sacerdotibus curam animarum gerentibus.

Nunc pauca dicamus de ipsa facultate concessa. Decretum omnibus Ordinariis in territoriis missionum, sub iurisdictione S. C. de Prop. Fide, scilicet Episcopis, Vicariis Apostolicis et Praefectis Apostolicis necnon Superioribus ecclesiasticis missionum sui iuris, potestatem facit ut, indulto Sedis Apostolicae (can. 782 § 2) tribuere valeant, sive ad modum actus sive habitualiter, omnibus sacerdotibus sibi subditis, qui curam animarum gerant, facultatem sacram Confirmationem moribundis ministrandi. Requiritur ut sacerdotes sint subditi Ordinarii concedentis facultatem scilicet sub illo Ordinario loci sacra ministeria exerceant seu aliquo modo sint addicti dioecesi vel quasi-dioecesi sive ibi sint incardinati sive cum licentia proprii Superioris in illa missione maneant. Insuper requiritur ut huiusmodi sacerdotes quacumque ex causa et quemlibet ob titulum curam animarum exerceant, iudicio ipsius Ordinarii loci. Facultas in re exerceri et dari potest solummodo pro fidelibus exstantibus intra limites circumscriptionis ecclesiasticae missionalis scilicet dioecesis vel quasi-dioecesis ipsius Ordinarii concedentis et respicit fideles sive adultos sive infantes in mortis periculo constitutos. Quoad hunc punctum notanda est discrepantia inter textum decreti et titulum eiusdem, in quo consideratur periculum mortis ex gravi morbo. Cum haec verba « ex gravi morbo » desint in textu decreti, qui unice subiectus fuit approbationi Summi Pontificis, in territoriis ubi vigorem habet decretum latum a S. C. de Prop. Fide, sufficit quodlibet mortis periculum quin originem ducat ex gravi morbo. Unde si quis capite fuerit damnatus, valide recipere potest sacramentum confirmationis antequam necatus sit.

Quae omnia sunt ad validitatem administrationis. Pro liceitate requiritur ut in ipso loco residentiae Episcopi, sit Episcopus vel absens vel legitime impeditus. Sed in territoriis missionum non omnes Ordinarii sunt charactere episcopali exornati, ut Praefecti Apostolici et Superiores ecclesiastici missionis sui iuris, unde in territoriis id genus haec clausula nullum vigorem habet.

Ultimo loco decretum statuit ut in casibus, de quibus supra, servetur formula praescripta a Rituali Romano pro sacerdote confirmationem administrante indulto apostolico.

Xaverius Paventi

DECRETUM

DE CLERICIS EX EUROPAEIS DIOECESIBUS IN AUSTRALIAM VEL NOVAM ZELANDIAM DEMIGRANTIBUS.

Ad tuendam disciplinam ecclesiasticam in ditione Australiae et Novae Zelandiae huic Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, ob praesentis temporis rerum adiuncta, opportunum visum est ea, quae sequuntur, statuere:

Clerici saeculares vel religiosi exclaustrati, durante exclaustrationis tempore, et religiosi saecularizati, qui ex Europae dioecesibus memoratas regiones qualibet ex causa, etiam ad breve tempus, adire cupiant, stricte tenentur ab hac eadem Sacra Congregatione de Propaganda Fide permissionem in scriptis datam obtinere. Quod si, hoc praescripto non servato, demigraverint, suspensi a divinis ipso facto manebunt.

Ordinarii locorum Australiae et Novae Zelandiae curent ut praescripta, de quibus supra, adamussim observentur.

Pro clericis vero Nationum, quae in Europa lingua anglica utuntur, sufficit ut Episcopus dimittens, antequam licentiam et discessoriales litteras concedat, directe, ad normam sacrorum canonum, quin ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide recurrat, cum Episcopo acceptante pertractet.

Quae, in Audientia diei 21 mensis octobris vertentis anni 1948 SS.mo D. N. Pio, Div. Prov. Papae XII ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis de Propaganda Fide relata, Summus Pontifex rata habuit ac confirmavit atque praesens ad rem Decretum expediri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 21 mensis Octobris anno Domini 1949.

P. Card. Fumasoni Biondi, *Praefectus.*

L. + S.

+ Celsus Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius.*

(*A.A.S.*, XXXXI, (1949) pp. 34-35).

ADNOTATIONES

Praesens Decretum, latum a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, recensendum est inter alia decreta eiusdem generis edita a Sacris Congregationibus Consistoriali et Orientali pro territoriis propriae iurisdictionis. Sufficit heic tantum in memoriam revocare supradicta decreta.

Decr.: « Ethnographica studia » diei 25 martii 1914 (A. A. S., 1914, pp. 182-186).

Decr.: « Magni semper », diei 30 decembris 1938 (A. A.S., 1919, pp. 39-43).

Quae duo decreta, lata a S. C. Consistoriali, ordinata sunt ad impediendum quominus sacerdotes ex dioecesibus Europae indiscriminatim et saepe cum damno ipsius disciplinae ecclesiasticae petant status Americae et Insulas Philipinas.

Decreta, quae sequuntur, data sunt a S. C. Orientali.

Decr.: « Qua solerti », diei 23 decembris 1929 (A. A. S., 1930, pp. 99-105).

Decr.: « Non raro accidit », diei 7 ianuarii 1930 (A. A. S., 1930, pp. 106-108).

Decr.: « Saepe numero », diei 7 ianuarii 1930 (A. A. S., 1930, pp. 108-110).

Instr.: « Quo felicior », diei 26 septembris 1932 (A. A. S., 1932, pp.344-346).

Quorum decretorum, duo priora loquuntur de clericis orientalibus, sive saecularibus sive religiosis, qui e territoriis vel dioecesibus orientalibus pergere cupiant in Americam septentrionalem, centralem et meridionalem et in Australiam ad curam animarum exercendam inter christifideles orientalis ritus vel ob aliam causam oeconomicam aut moralem etiam ad breve tempus. Tertium decretum respicit clericos orientales demigrantes in territoria non orientalia ad stipem corrogandam vel ad Missarum stipendia colligenda. Instructio anni 1932 omnia praescripta antecedentium decretorum complectitur et quibusdam in locis perfecit.

Quae omnia memoravimus ad hoc ut lector statim percipiat finem decreti lati a S. C. de Propaganda Fide qui idem est ac finis ceterorum decretorum, de quibus supra. Hucusque eadem S. C. de Propaganda Fide, nullam occasionem habuit coercendi itinera missionariorum in territoria missionum, immo saepissime rogavit Superiores Institutorum missionalium ut perplures operarios mitterent in vineam Domini excolendam. Sed nostris temporibus inter territoria subiecta iurisdictioni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, Australia et Nova Zelandia ob varias causas plures

sacerdotes alliciunt. Etenim non desunt sacerdotes, qui in illas regiones demigrare cupiant vel ad vitam agendam una cum familia, cuius membra illuc iam demigraverunt, vel ad curam animarum excercendam inter concives vel etiam aliam ob causam. Et haec est ratio cur decretum respiciat solum Australiam et Novam Zelandiam et non cetera missionum territoria. Fines Australiae comprehendunt etiam Insulam Tasmaniam non vero territoria Novae Guineae orientalis et multo minus ceteras insulas Oceaniae, praeter Novam Zelandiam et insulas adiacentes pertinentes ad unam ex quattuor dioecesibus eiusdem Novae Zelandiae.

Insuper decretum quoad personas respicit tantum clericos saeculares vel religiosos exclaustratos, durante exclaustrationis tempore et religiosos saecularizatos, qui ex Europae dioecesibus memoratas regiones adire cupiant. Ergo excluduntur religiosi, qui in illas regiones proficiscuntur per mandatum proprii Superioris religiosi ut vitam agant in domibus religionis. Praeterea nulla causa ius tribuit ad licite arripiendum iter in illas regiones unde omnes sacerdotes, de quibus supra, qui hodie habentur ut cives patria extorres (displaced persons) supradicti decreti praescriptis tenentur et sicut ceteri obtinere debent a S. C. de Propaganda Fide permissionem in scriptis datam. Quae permissio requiritur etiam si quis cupiat adire Australiam vel Novam Zelandiam ad breve tempus rusticationis vel parentum visitationis causa. Transgressores plectuntur suspensione a divinis ipso facto incurrenda.

Decretum excipit consulto clericos nationum, quae in Europa lingua anglica utuntur. Excipiuntur, ergo, clerici ex Britannia, Scotia et Hibernia oriundi, pro quibus sufficit ut in casu observentur generalia praescripta canonum. Facile intelligitur ratio cur decretum huiusmodi exceptionem posuerit. Inhabitantes illarum regionum maxima ex parte ex gente anglica origem ducunt, lingua officialis est anglica et plures clericos sive anteactis sive hisce temporibus Ecclesia Australiae et Novae Zelandiae recipit ad ordinarium pastorale ministerium exercendum, quod quidem nullo modo Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide praepedire vult sed tantum moderari.

Ordinarii locorum Australiae et Novae Zelandiae curare debent ut praescripta decreti adamussim observentur.

Xaverius Paventi

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

EPISTULA

AD EXCELLENTISSIMOS AC REVERENDISSIMOS LOCORUM ORDINARIOS

Romae, die 15 Augusti a. D. 1949

Excellentissime Domine,

Musicae Sacrae, ad divinum cultum promovendum, quantopere Sancta Sedes iugiter faverit, nemo sane est qui ignoret. Eiusdem sedulitatis plura exstant documenta, inter quae notatu dignae illae sapientes quidem et firmae praescriptiones, quas Summus Pontifex Pius XI, fel. rec., per Const. Apost. *Divini cultus sanctitatem* (d. d. 20 Decembris a. 1928) impertitus est.

Haec quoque S. Congregatio adlaborare non intermisit, ut iuvenes Sacerdotii viam ingressi, tum theoretice tum practice Musica Sacra congrue instituerentur. At, si multa et laudabilia in plerisque Seminariis gesta sunt ad sacram iuventam hac quoque disciplina imbuendam, in ceteris tamen exspectati felices exitus minime obtenti sunt, cum pluribus de causis, tum praesertim quod magistri debita doctrina praediti ac necessitatibus pares non habebantur. Huiusmodi defectus eo manifestiores hodie apparent, quo studium liturgicum et musicum mire in dies diffunditur, sive inter asseclas Actionis Catholicae sive inter ipsos Christifideles, Anno Sancto praecipue instante.

Quam ob rem, ad novum validioremque impulsum afferendum ut Seminariorum alumni theoria et practica Musicae Sacrae iuxta principia didactica et disciplinaria a Sancta Sede statuta sedulo erudiantur, haec quae sequuntur praescribenda censemus:

I. Musica Sacra disciplinis necessariis adnumeratur, ideoque omnibus sacrorum alumnis, inde a primo humanitatis anno usque ad cursum theologicum expletum, absolute tradenda.

II. Musicae Sacrae magistris proponentibus, annua programmata ab Exc.mo Ordinario adprobanda sunt.

III. Musicae Sacrae horarum in hebdomada attributio regetur normis Const. Apost. *Divini cultus sanctitatem* (nn. 1-2): praelectionum horae generali studiorum rationi inserendae sunt.

In feriis autumnalibus, longius tempus adhibebitur ad exercitationes practicas tum uniuscuiusque alumni tum plurium vel omnium simul alumnorum, et, pro alumnis cursuum philosophici et theologici, hebdomadae studiorum indicentur ad praecipuas quaestiones Musicae Sacrae penitius pertractandas.

IV. Non aliter ac pro ceteris disciplinis, alumni annua pericula de Musica Sacra obire tenentur.

V. Unicuique Seminario idoneus sit oportet magister Musicae Sacrae, qui ad omnes effectus Collegio Professorum cooptabitur.

Hac quidem de re, Exc.mis locorum Ordinariis in memoriam revocamus instantissimam Pii XI, fel. rec., adhortationem, ut nempe ex quavis mundi regione ad Romanum Pontificium Institutum Musicae Sacrae adlecti mittantur iuvenes Sacerdotes, sincere exornati spiritu liturgico, peculiari quodam donati ingenio musico et sufficienti muniti praeparatione, qui, requisitum tirocinium emensi, uberem in Diocesi et praecipue in Seminario apostolatum liturgico-musicalem explicare valeant.

VI. Quae supra statuimus, vigere incipient anno scholari proximo ineunte.

Tuum igitur erit, Exc.me Domine, sollicite in ea, quae supra mandavimus, omnem curam impendere. Nam Musicam Sacram non parum conferre arbitramur, ut iam exactis Ecclesiae temporibus, etiam nunc ad christianam plebem Christo Domino reducendam: sacrorum concentuum dulcedine et suavitate allectus, populus fidelis « hymnis et canticis spiritualibus » Domum Dei resultantem libentius celebrabit, avidius ad dominica sacramenta accedet, abundantiusque inde vitam hauriet.

Dum Tibi vota in Domino profero, reverenter me obtestor

Excellentiae Tuae Reverendissimae
in Ch. I. addictissimum
I. Card. Pizzardo, *Praefectum*

H. Cecchetti, *Subsecr.*

(*A.A.S.* vol. XXXXI, pp. 618-619).

ADNOTATIONES

LEGES: Conc. Trid. Sess. XXIII, *de ref.* c. 18; Benedictus xiv, Ep. Enc. *Annus qui*, 19 Febr. 1749, § 2 (in fine); S. Rituum Congregatio: *Ordinatio quoad sacram musicen*, 25 Sept. 1884, § V n. 22; Litt. Enc. *De musica sacra ordinatio*... dd. 7-12 Iunii 1894, Pars altera, n. II; Pius x: Motu Proprio *Inter pastoralis officii*, 22 Nov. 1903, n. 25-26; Ep. ad Card. P. Respighi,in Urbe Vicarium in spiritualibus Generalem, *de musices sacrae instauratione*, d. 8 Dec. 1903 (Decr. Auth. S. R. C. n. 4125 sub finem). S. Rituum Congregatio, Decr. *Urbis et Orbis*, 8 Ian. 1904 (Decr. Auth. S. R. C. n. 4131); Card. P. Respighi: *Regolamento sulla musica sacra per Roma*, d. 2 Febr. 1912 (Introductio); *Codex Iuris Canonici*: can. 1365 § 2; Pius xi, Const. Ap. *Divini cultus sanctitatem*, d. 20 Dec. 1928, art. I-II; Pius xii, Litt. Enc. *Mediator Dei*, d. 20 Nov. 1947, n. 186.

AUCTORES (Praetermissis tractatibus generalibus atque studiis superioris temporis, hic novissima tantum ephemeridum articula in subiecta materia citamus): Gabet A. - *Le problème de l'enseignement musical dans les Seminaires* in *Musique et Liturgie*, Paris 1949 n. 9 pag. 5-8. Bras M. *Los seminarios y la cultura musical* in *Tesoro Sacro Musical*, Madrid XXXII (1949) n. 9 pag. 65-67. Rouet de Journel, M. J. *Seminario y capilla musical* in *Schola Cantorum*. Morelia (Mexicum) XII (1949) n. 1 pag. 11-13. R. F., *La musica liturgica nell'Enc. Meditor Dei: Lo studio della musica nei Seminari*, in *Bollettino Ceciliano* Roma 1949 (XIVI) n. 1-2 pag. 5-8.

Summarium: 1. Personae, quibus Instructio dirigitur. - 2. Obiectum et subiectum obligationis musicam sacram addiscendi. - 3. Annua programmata musicae sacrae. - 4. Horarum attributio musicae sacrae addiscendae. - 5. Annua pericula subeunda. - 6. Status iuridicus magistri musicae sacrae. - 7. Tempus, a quo Instructio vigere incipiet.

1. Prraesentes litterae per se diriguntur omnibus et solis Seminariis dioecesum iuris communis. Attamen cum ea, quae in his Litteris exsequenda iubentur a S. C. de Seminariis atque Studiorum Universitatibus pro Seminariis eidem subiectis, SS. Pontifices iterum iterumque praescripserint non solum ecclesiasticis ac religiosis, sed etiam omnibus christifidelibus, exemplariter saltem applicari possunt etiam novitiatibus ac domibus scholaribus religiosis atque Institutis catholicis iuventuti utriusque sexus erudiendae necnon Seminariis sub ditione S. C. pro Ecclesia Orientali et de Prop. Fide constitutis.

Etenim praesentes Litterae S. C. de Seminariis atque de Universitatibus Studiorum naturam habent instructionis, quae legum, quas SS. Pontifices pro omnibus ecclesiasticis tulerunt in subiecta materia, normam continent declarativam, ut iisdem legibus maiorem efficientiam conferrent in ordine ad earundem exsequutionem. Optandum tamen foret ut ad maiorem profectum promovendum in Ecclesia SS. Dicasteria, pro sua cuiusque competentia, peculiarem edant hac de re istructionem pro suis subditis, prae oculis habitis specialibus personarum ac locorum circumstantiis.

2. Sub nomine musicae sacrae, quam Instructio disciplinis necessariis adnumerat, in primis intelligi debet, iuxta constantem ecclesiasticam traditionem, cantus liturgicus: gregorianus np. qui semper principem habuit in Ecclesia locum quemque proxime sequitur classica polyphonia ac dein musica moderna ac contemporanea solis vocibus concinentibus vel organo comitante. Sed simul cum cantu liturgico cantum popularem [1]. Pius XII novissime in Enc. *Mediator Dei* longe lateque fovendum edixit.

Secundario autem praescribitur studium organi, quod in sacra Liturgia in eximii muneris partem vocatur, simul cum disciplinis arcte connexis cum cantus et organi usu in Ecclesia: ut e. g. legislatio, aesthetica ac paedagogia musicae liturgicae. At omnino exclusum manet studium musicae theatralis aliaque huiusmodi. Admitti tamen possunt cantus chorales, qui nihil gravitati atque sanctitati Seminariorum detrahant, occasione praesertim academiarum vel festorum exsequendi: at semper subordinate ad studium aliarum disciplinarum ecclesiasticarum atque musicae sacrae. Item dicendum de musicis instrumentis, quorum studium nonnisi facultativum erit atque quibusdam tantum permittendum; nisi agatur de instrumento v. d. « pianoforte » cuius thecnica ad organum apte pulsandum generatim praerequiri censetur: quo in casu, exclusis his quae stylum romanticum vel mundanum redolent, studia ac compositiones polyphonicas et classicas praecipue addiscenda conveniet.

Omnes seminariorum alumni — sine ulla exceptione — musicae sacrae studere tenentur inde a primis eorum annis, quamvis praesens Instructio dicat « a primo humanitatis anno ». Etenim Const. Apost. *Divini cultus sanctitatem* (n. I) praescripserat: « ...iam inde a prima aetate cantu gregoriano et musica sacra imbuantur... Ab ipsis primordiorum scholis institutio cantus et musicae incipienda est ac deinde in gymnasio et lycaeo continuanda...» Unde verba Instructionis, quae certe legi quam declarat derogare nequit, intelligenda sunt sensu non taxativo sed affirmativo, quatenus np. Seminaria alumnos generatim recipiunt a primo humanitatis anno; quod si prius recipiant, alumni iam a schola elementari vel primaria, ut aiunt, cantu sacro pro eorum capacitate practice sunt imbuendi. Revera, ut legitur in cit. Const. Pii XI « facilius ea perdiscunt, quae ad modulationes sonosque pertinent; et vocis vitia, si fortasse habeant, eradicare vel saltem corrigere

(1) Cantus popularis non est idem ac cantus populi. Hic enim consistit praecipue in partibus Missae ac Vesperarum decantandis, quae fidelibus commisae sunt a S. Liturgia (ut e. g. responsiones Celebranti, Ordinarium Missae, Psalmi et Hymni etc.). Ille vero cantus praesertim in lingua vulgari pro functionibus extra-liturgicis vel etiam infra Missam lectam.

queunt; quibus quidem postea, adultiores aetate, mederi prorsus non possent ».

Studium ac praxis musicae sacrae « usque ad cursum theologicum completum » est prosequendum. Cum enim Seminariorum alumni, ne aliarum disciplinarum studium detrimentum patiatur, parum temporis in die musicae sacrae dare possint, necessarium est ut, quod studii intensitati detrahitur, extensione temporis, in quo eidem studio attendi debet, compensari queat. Hinc aurea norma hac in re erit: Nulla dies sine linea. Quod si diligenter peragatur duodecim saltem annis, alumni sensim sine sensu atque iucunde periti fient tum in theoria cum in praxi musicae sacrae.

3. S. Congregatio annua musicae sacrae programmata prudenter praefinire noluit, ne necessaria magistrorum libertas in methodo sequenda coarctaretur cum damno ipsius studii peragendi. Praeterea diversa est conditio Seminariorum in subiecta materia, ita ut programma, quod aliquibus nimis gravosum, aliis contra insufficiens evaderet. Hinc relinquitur musicae sacrae magistris totam materiam, de qua supra in n. 2, distribuere, attente consideratis omnibus personarum ac locorum circumstantiis atque collatis consiliis cum studiorum Praefecto ac Seminarii Rectore.

Unius Ordinarii tamen erit hanc distributionem adprobare, salva semper substantia praescriptionum, quae in num. I-II Const. Ap. *Divini cultus sanctitatem* continentur: non enim liceret musicae sacrae studium ita extenuare ut materia descripta in cit. Const. evolvi apte nequeat.

4. Quoad tempus, quod musicae sacrae studio tribui debet, S. Congregatio iterum ad praescriptiones Const. Ap. iam cit. remittit, ubi legitur (n. II): « Esto igitur in Seminariis... brevis quidem sed frequens ac paene cotidiana cantus gregoriani et musicae sacrae lectio vel exercitatio ». Unde sufficiet ut in hebdomada una hora lectioni, reliquum tempus autem exercitationibus tribuatur.

Apprime notandum, iuxta Instr. (n. III) musicae sacrae praelectionum horas generali studiorum rationi inserendas esse: quod directe profluit ex eo quod « musica sacra disciplinis necessariis adnumeratur » (n. I). Nec onerosum alumnis hoc erit; nam, ut bene adnotat cit. Const. Apost. (n. II) musicae sacrae lectio vel exercitatio « si liturgico spiritu peragatur, solatium potius quam onus, post severiorum disciplinarum studium, alumnorum animis afferet ».

Insuper, quando alumni a severiorum disciplinarum curis distenti feriis autumnalibus in Seminario fruuntur, longius tempus adhibebitur sive pro exercitationibus practicis tum individualibus organi quum collectivis chori. Praeterea pro materiis cum

musica sacra arcte connexis (cfr. supra n. 2) in feriis autumnalibus indici poterunt hebdomadae studiorum alumnis cursus philosophici ac theologici, qui, utpote maturiores, quaestiones propositas profundius agitare possunt .

5. Art. IV Instr. item directe profluit a principio in art. I statuto. Si enim musica sacra disciplinis necessariis adnumeratur, non aliter ac pro ceteris disciplinis alumni annua pericula de musica sacra subire tenentur. Inde sequitur votum adprobationis in musica sacra computandum esse simul cum votis ceterarum disciplinarum ad effectum tum annuae promotionis alumnorum ad cursum superiorem quum ad praemia honorifica vel oeconomica (v. d. « borse di studio ») consequenda.

6. Art. V Instr. duo statuit:

1°) Ut cuique Seminario idoneus sit oportet musicae sacrae magister. Qua de re S. Congregatio, praeter exhortationem in praesenti Instructione contentam ut delecti iuvenes ad Pont. Institutum Musicae Sacrae altius tradendae ab Ordinariis locorum frequentandum mittantur, eamdem exhortationem peculiariter renovavit in litteris Ordinariis locorum eadem die 15 augusti 1949 n. 659/49 missis, simul adiungens programmata studiorum eiusdem Pont. Instituti.

2°) Ut musicae sacrae magister collegio professorum cooptetur ad omnes effectus, sc. sub aspectu dignitatis ac retributionis. Quare Magister musicae sacrae, cum disciplinam necessariam non mere facultativam doceat, tamquam ordinarius per se est habendus atque ideo ius habet consiliis professorum interessendi cum voce activa et passiva, remunerationem accipere iuxta cuiusque Seminarii ordinationem, etc. Dicimus ordinarius per se est habendus: nam in concreto uti professor supplens vel extraordinarius assumi poterit usque dum requisita habeat iuxta legitimas ac peculiares ordinationes, ut ordinarius evadat: non secus ac fit pro aliis professoribus Seminariorum.

7. In art. VI Instr. statuitur ut quae supra praescripta sunt, anno scholari 1949-1950 vigere incipiant.

Demum S. Congregatio, vestigia premens SS. Pontificum ac praesertim Pii XII, qui in Litt. Enc. *Mediator Dei* sacrae musicae cultum enixe commendavit, locorum Ordinarios instantissime adhortata est ut omnem curam impendant ad praesentis Instructionis praescripta exsequenda.

Revera restauratio ac diffusio musicae sacrae in ecclesis fieri nequit, nisi prius Levitae ac Sacerdotes in eadem instructi sufficienter fuerint.

FLORENTIUS ROMITA

JURISPRUDENTIA TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

SACRA ROMANA ROTA

Null. Matr., diei 12 nov. 1949, coram *A. Wynen.*

(*Omissis*)

De nullitate sententiarum antea prolatarum.

5. — In jure. - Declaratio nullitatis alicuius sententiae obtineri potest vel ob interpositam querelam nullitatis, vel ob postulatam restitutionem in integrum. Cum actoris patronus utrumque remedium iuris contra sententias a. 1927 latas invocaverit, primum de querela nullitatis, deinde de restitutione in integrum disceptandum est.

De querela nullitatis. Can. 1892 disponit « Sentenia vitio *insanabilis nullitatis* laborat, quando:

1°. Lata est a iudice absolute incompetente vel in tribunali collegiali a non legitimo iudicum numero contra praescriptum can. 1576, § 1;

2°. Lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio;

3°. Quis nomine alterius egit sine legitimo mandato ».

6. — Quoad *primam adductam causam* insanabilis nullitatis scl. quando sententia lata est « in tribunali collegiali a non legitimo iudicum numero contra praescriptum can. 1576, § 1 », manifestum est sententiam in causa de vinculo matrimonii prolatam esse nullam, si nonnisi duo iudices, non autem tres iudices, sententiam tulerunt. Quaeritur autem, quid dicendum, si non tres sed quatuor iudices tribunal collegiale constituerunt. Uti per se patet, Codex pro causis de vinculo matrimonii *ob magnum momentum horum processuum* praescripsit tribunal collegiale; iamvero finis generalis huius legis constitutione tribunalis collegialis quatuor iudicum non solum non laeditur, sed potius melius obtinetur. Quoniam nempe « tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre » (can. 1577, § 1), in collegio trium iudicum duo suffragia sufficiunt ad pronuntiandam nullitatem alicuius matrimonii; sin autem collegium quatuor iudicibus constet, suffragia duorum iudicum affirmative iudicantium contra duo suffragia negativa adhuc nihil efficiunt pro

declaranda nullitate, ad quam declarandam requiruntur suffragia saltem trium ex quatuor iudicibus, quia secus non haberetur « maior pars suffragiorum ». Quare sat difficile est proclamare aliquam sententiam insanabiliter nullam quando finis universalis legis non deficienter, sed abundanter in tuto collocatus est. Ex altera vero parte recolendum est, quod « ratio legis non est lex », atque « a priori et absolute reiicienda est, ut prorsus abusiva et naturae legis contraria, interpretatio legis quae, formula verbali penitus neglecta vel tamquam quid secundarium considerata, ex solo fine legis voluntatem legislatoris investigaret eamque, secundum huius finis exigentias, ultra omnem verborum sensum, determinaret » (Michiels, *Normae Generales Juris Canonici*, vol. I, p. 422). Ceterum tota interpretatio legis ex recursu ad legis finem et ad mentem legislatoris tam ardua et difficilis est (cfr. Michiels, l. c., p. 419-442), ut inde pro casu nostro invocare non possimus aliquod principium interpretationis, quod verbum *legitimi numeri* citati canonis omnino certe statuat.

Quare nil mirum si pauci Auctores, qui hoc verbum examini subiecerunt, in diversas abeunt sententias. Etenim cl. Roberti ad rem dicit: « Defectus numeri imparis iudicum, quamvis a Codice reprehendatur, tamen in hoc casu nec iure positivo nec naturali videtur afferre sententiae nullitatem » (*Consultationes iur. can.*, vol. I, p. 246); et alibi: « In omnibus causis (iudici collegiali reservatis) iudices debent esse tres vel quinque; at fieri potest ut in iudicio recusationis collegium etiam numero pari constet (c. 1614). Nec videtur nullitate laborare processus a collegio pari iudicum numero constituto » (*De process.* ed altera, vol. I, p. 290).

E contra Card. Lega docet: « Ex praescripto can. 1572, § 2, 1575 (recte: 1576) et can. 2040, § 1: in hoc nulla quaestio aut dubitatio. At quaestionis est, an nullitas *absoluta* incurratur si non tres vel quinque sed quatuor aut sex iudices constituantur. Censeo nullitatem absolutam haberi, quia haec legis praescriptio pertinet ad ordinationem iudicum in Ecclesia seu ad ius publicum, quod privatis immutare nullimode fas est. Sanctio autem nullitatis absolutae clare innuitur in textu legis quum praescribitur iudicum numerum debere esse legitimum seu ab ipsa lege praestitutum » (*Commentarius in iudicia eccl.*, p. 1018). Quidquid sit, nondum certo constat, utrum necne numerus im-

par iudicum in tribunali collegiali nullam reddat sententiam a tali numero iudicum latam, praesertim cum a solo verbo « legitimus », quod in Codice Juris Canonici saepissime adhibetur quin exprimatur nullitas pro re illegitima (cfr. Laver, *Index verborum Cod. Jur. Can.*, p. 333 s., ubi verbum « legitimus » 191 vicibus invenitur), nihil desumi possit.

7. — *Secunda causa* insanabilis nullitatis sententiae habetur si haec lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio. Verba: *non habere personam* (seu jus) *standi in iudicio* significare possunt aut solum defectum legitimationis ut aiunt activae, seu privationem iuris ad agendum in iudicio uti pars actrix, aut omnimodum defectum iuris per se standi in iudicio ne ut pars conventa quidem. Iuxta can. 1971, § 1, n. 1, coniuges, qui « fuerint impedimenti causa », ad accusandum matrimonium suum sunt inhabiles seu in causis matrimonialibus non habent legitimationem activam, sed tantummodo jus « nullitatem matrimonii Ordinario vel Promotori iustitiae denuntiandi » (cit. can. § 2). Commissio autem Pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos die 27 julii 1942 declaravit, quod « inhabilis ad accusandum matrimonium habendus sit tantum coniux, qui sive impedimenti sive nullitatis matrimonii *causa* fuit *directa et dolosa* ».

Jamvero si quis, antemquam fidem catholicam amplexus est, juxta doctrinam suae religionis positive excludit indissolubilitatem matrimonii, et jus divortiandi sibi in contrahendo matrimonio reservat, is dici nequit *causa dolosa* matrimonii, quia non egit contra suam conscientiam, sed adhaerens, uti supponitur, bona fide falsae doctrinae suae religionis. Sed etiamsi aliquis, sive in fide catholica educatus sive demum post nuptias Ecclesiam catholicam ingressus sit, ad accusandum matrimonium fuerit inhabilis et nihilominus causam suam matrimonialem introduxerit ut pars actrix, tamen inde sententia lata non laborat nullitate. Etenim Commissioni Pontificiae ad Codicis canones authentice interpretandos propositum est dubium: « An inhabilitas coniugis ad accusandum matrimonium, a canone 1971 § 1 n. 1 statuta, secumferat incapacitatem standi in iudicio, ita ut sententia vitio insanabilis nullitatis laboret can. 1892 n. 2 »; ad quod dubium Commissio die 4 januarii 1946 respondit: « Negative ». Ergo ob inhabilitatem illam non

observatam, sententia nequit accusari, ex can. 1892, n. 2, insanabilis nullitatis.

8. — *Tertia causa* insanabilis nullitatis sententiae adest quando « quis nomine alterius egit sine legitimo mandato ». Iuxta can. 1646 « quilibet potest in iudicio agere, nisi a sacris canonibus prohibeatur ». Praeter determinatos casus, scl. « si agatur de minoribus aut de iudicio in quo bonum publicum vertitur » (can. 1655, § 2; cfr. etiam § 1), « pars libere potest advocatum et procuratorem constituere, sed potest quoque in iudicio per se ipsa agere et respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimaverit » (§ 3 cit. can.).

At secundum can. 1659, § 1, nullus procurator a Judice admitti potest sine speciali mandato ad lites, et si nihilominus quis ausus fuerit absque tali mandato exhibere aliquem libellum et introducere causam alicuius alterius personae, per se patet sententiam latam in aliqua causa, neque a parte quae falso apparet uti actrix, neque ab eius legitimo procuratore instituta, insanabiliter esse nullam.

Hac tamen in re notandum est Judicem in certis casibus (cfr. can. 1707, § 1 et 2) abstrahere posse ab observantia canonis 1706, praescribentis, ad instituendam causam, exhibitionem alicuius formalis libelli scripti, atque admittere posse introductionem alicuius causae per petitionem oretenus factam, quo in casu « iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus » (§ 3 cit. can.). Si igitur quis absque legitimo mandato exhibuerit Tribunali libellum pro aliqua altera persona, et si deinde haec altera persona coram Judice oretenus repetit petitionem in libello contentam, tunc nequit sustineri sententiam, post causae instructionem latam, esse nullam ob libellum a procuratore speciali mandato non munito exhibitum. Praescribitur quidem pro causis communibus et pro circumstantiis ordinariis (exceptiones cfr. in can. 1707, § 1 et 2) exhibitio libelli iuxta normas statutas exarati (cfr. can. 1706); sed id non sub poena nullitatis statutum est; iamvero « irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur » (can. 11). Merus igitur defectus libelli scripti non secumfert nullitatem iudicii et sententiae, quando pars actrix in iudicio oretenus causam introduxit.

Ad accusandam nullitatem matrimonii habiles sunt ex ipsa lege nonnisi coniuges, nisi ipsi fuerint impedimenti causa, et Promotor iustitiae in impedimentis natura sua publicis (can. 1971, § 1). « Reliqui omnes... non habent ius matrimonia accusandi, sed tantummodo nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae denuntiandi » (cit. can. § 2). Si proinde causa aliqua matrimonialis a neutro coniuge instituitur, sed si qui parochus Tribunali competenti libellum exhibet, videndum est, utrum parochus agat uti procurator ab alterutro coniuge legitime constitutus, an potius intenderit nullitatem matrimonii Ordinario vel Promotori iustitiae denuntiare, et an Promotor iustitiae deinceps partes actoris egerit. Quodsi neutrum verificatur, patet nullam adhuc haberi legitimam introductionem causae, cum neque coniux neque procurator speciali mandato munitus Judicem adierit. Sin autem Iudex, libello illo recepto, citat partem quae iuxta libellum exhibitum esset pars actrix, et si haec in sua excussione orali coram Judice saltem indirecte confirmet informem libellum exhibitum et directe per se ipsa petit declarationem nullitatis sui matrimonii, tunc rationabiliter dici nequit sententiam in fine iudicii latam esse nullam ob invalidum libellum exhibitum. Esto quod ipse libellus scriptus sit nullius valoris iuridici; esto quod in causa matrimoniali non agatur de causa « minoris momenti » (can. 1707, § 2) neque constet partem legitime impeditam fuisse « quominus libellum exhibeat » (§ 1 cit. can.); nihilominus habetur legitima accusatio ab ipso coniuge facta, quin accusatio oretenus facta a iure declarata sit nulla et invalida.

9. — Querela nullitatis contra sententiam vitio insanabilis nullitatis laborantem restringitur ad tres casus in can. 1892 enumeratos et supra (n. 6-8) expositos, atque « proponi potest per modum exceptionis in perpetuum, per modum vero actionis coram iudice qui sententiam tulit intra triginta annos a die pubblicationis sententiae » (can. 1893). At praeter tres illos casus habentur alia vitia insanabilis nullitatis sententiae. Unum sufficit adducere exemplum, casum praesentem respiciens. « Defensoris vinculi est: 1° Examini partium, testium et peritorum adesse; exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata...; novas interrogationes, ab examine emergentes, iudici suggerere; 2° Articulos a partibus propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit, contradicere; etc. » (can. 1968, n. 1° et 2°). Porro

in causis matrimonialibus, Defensore vinculi non citato, « acta irrita sunt », nisi ipse, etsi non citatus, revera interfuerit (can. 1587, § 1). Sententia denique, quae non innititur nisi partium et testium depositionibus iuridice irritis, necessario ipsa quoque irrita seu nulla est (cfr. can. 1680, § 2).

Atqui adversus eiusmodi sententiam nullam, contra quem non suppetat ordinarium remedium appellationis aut querelae nullitatis, datur remedium extraordinarium restitutionis in integrum, dummodo de evidenti iniustitia rei iudicatae manifesto constet; de qua iniustitia manifesto constare censetur (omissis aliis motivis) ob legis praescriptum evidenter neglectum (can. 1905). Quod principium, iuxta sanam doctrinam et iurisprudentiam, applicandum est, in casu, in quo sententia, ab actibus irritis omnino dependens, nulla est.

10. — « Sententia *vitio sanabilis nullitatis* laborat, quando: 1° Legitima defuit citatio; 2° Motivis seu rationibus decidendi est destituita... 3° Subscriptionibus caret iure praescriptis; 4° Non refert indicationem anni, mensis, diei et loci quo prolata fuit » (can. 1894). Et quidem in hisce casibus querela nullitatis « proponi potest vel una cum appellatione intra decendium, vel seorsim et unice qua querela intra tres menses a die publicationis sententiae coram iudice qui sententiam tulit » (can. 1895).

De hac sanabili nullitate pauca addenda sunt. « Defectus citationis (n. 1° can. 1894) intelligendus est de « defectu citationis qua causa introducitur », ut habetur in Regulis Signaturae Apostolicae art. 4. At defectus citationis ad edendam vel potius publicandam sententiam effectum nullitatis non inducit, sed potius impediuntur effectus donec fuerit promulgata » (Wernz-Vidal, *Jus Can.* vol. VI. n. 622). « Effectus nullitatis sanabilis alius est pro primo casu et pro subsequentibus. Si enim legitima defuerit citatio, totus processus corruit, et proinde ex integro est renovandus; sin vero vitium nullitatis tantum actum scriptum sententiae afficiat, sublata causa nullitatis et renovata publicatione, processus et sententia sustinentur. Si pars omiserit intra statutum tempus actionem proponere, omnia recensita vitia sanantur, dummodo sententia vitio affecta fuerit legitime publicata » (Roberti, *De processibus*, vol. II pars I, p. 225).

TRIBUNAL REGIONALE PICENUM

CAUSA NULLITATIS MATRIMONII *N. N.*
ex capite impotentiae viri

In iure.

1. — Exploratum est in jure, impotentiam non autem sterilitatem matrimonium dirimere: ita can. 1068 quo etiam edicitur sterilitatem matrimonium non dirimere nec impedire (§ 3).

Hoc modo loquendi supponitur sterilitatem non semper consistere in mero facto quod ex alicuius copulis proles non enascatur; sed in statu aliquo habituali et permanenti, et insuper cognoscibili. Praeterea cum sterilis aptus sit ad actus per se aptos ad prolis generationem (can. 1081 § 2) quibus impotens caret, indubia distinctio ab hoc adesse debet.

Nam si impotentia dubia sit, sive dubio iuris, sive dubio facti, matrimonium non est impediendum (can. 1068 § 2): in iure ergo, ne matrimonium periculo nullitatis exponatur, quicumque defectus in casu dubii, ut sterilitas est habendus, et impotentiae exigatur plena certitudo. Non enim quemquam vult Ecclesia privare suis iuribus naturalibus nisi de re certo constet, praesertim cum agitur de perpetua castitate servanda et hinc de quotidiano periculo lethalis culpae, in eo qui sexuales stimulos persentit.

2. — Cum de re agatur ex qua validitas matrimonii i. e. Sacramenti maxime socialis pendet, AA et iurisprudentia Tribunalium sequentia principia ponunt:

« Matrimonium est contractus, qui natura sua respicit ordinem externum et socialem, quique a competente auctoritate regulari debet.

Proinde cum auctoritas competens diiudicare debeat de existentia, validitate aut invaliditate matrimonii, sequitur impedimenta matrimonii talia esse debere, ut de eorum existentia constare possit regulariter et ex communiter contingentibus, scilicet ut nitentur in aliquo facto obvio et regulariter cognoscibili. Hinc est quod Ecclesia semper retinuit et adhuc retinet

(cfr. can. 1976 ss.) copulam qua partes fiunt una caro, esse factum externum iuridicis probationibus obnoxium! Quare excludendus est defectus qui de via ordinaria cognosci nequit ». (Cappello: De Matr. ed. III n. 356). Eadem Wernz-Vidal (Ius matr. n. 228) cum tractat de impotentia mulieris (sicut Cappello in l. c.); tamen principia, ut patet, eodem iure viro applicanda sunt: « Matrimonium est contractus qui natura sua ordinem externum et socialem respicit et a publica auctoritate regulari debet, ideoque ab eadem publica auctoritate debet posse iudicari de eius existentia et validitate.

Ergo ex ipsa natura matrimonii exigitur quod impedimenta naturalia, unde eius valor pendet, nitantur in facto obvio naturaliter et ex communiter contingentibus cognoscibili.

Quare impotentia debet consistere in defectu capacitatis qui proveniat ex absentia aut vitio organi, de cuius absentia aut vitio, via ordinaria, constare possit ».

Non aliter S. R. Rota in recenti *Romana* coram *Wynen* diei 25 aprilis 1944 (relata in *Periodica*, Tom. 33 (1944) p. 220 ss): « Cum enim matrimonium sit institutio naturae omnibus hominibus omnium regionum et temporum destinata, ea quae ad matrimonium requiruntur regulariter ab hominibus mediis ordinariis cognosci posse debent: eodem fere modo ac ordinarii cibi, qui ad vitam alendam et sustendandam necessarii sunt, regulariter ordinariis vitae humanae mediis (non tantum inquisitionibus chimicis et microscopicis) dignoscibiles esse debent ».

3. — Ad virum quod attinet, impotens iudicatur non solum qui incapax est penetrandi modo naturali per erectum membrum virile vaginam mulieris, sed etiam qui incapax est effundendi intra vaginam verum semen, i. e. in testiculis elaboratum (Gasparri, De Matr. ed. III n. 567; Wernz-Vidal, o. c. n. 218, nota 5; Cappello, o. c. n. 342; S. R. Rota saepissime, v. g. coram Massimi 14 Febr. 1924, Dec. vol. XVI, pag. 43 ss.); haec impotentiae notio hodie communissime accipitur, tamen non desunt controversiae circa notionis distinctiorem explicationem.

Sepositis iis quae ad erectionem et penetrationem membri virilis pertinent, operis pretium duxerunt infrascripti iudices exponere quae ad notionem veri seminis et cognoscibilitatem efformationis et emissionis seminis spectant.

4. — Apud omnes constat impotentiam haberi si ambo testes desunt omnino sive a nativitate sive quia abscissi sunt. Hoc docuit celeberrima Constitutio Xistina, et confirmatur a communi sensu hominum qui *eviratum* i. e. non virum, talem vocant, quasi virilitas in eo sit posita; est insuper defectus externus ab omnibus cognoscibilis.

Deest verum semen et insuper secretio interna concitatrix est suppressa.

Etiam apud omnes constat adesse impotentiam si testes certe et totaliter atrophici sunt, cum eaedem rationes recurrant. Pariter certe potentes sunt viri iuvenes ante plenam pubertatem et senes, quorum semen caret spermatozoidis.

5. — Sententia hodie non amplius communis est ea, quam tenuit aliquoties S. R. Rota, scilicet requiri in viro actualis praesentia nemaspermatum in liquore a viro eiaculato.

Rota ipsa sententiam hanc (quam tenuit in dec. coram Cattani die 8 Jan. 1913, Dec. vol. V, p. 23 ss.) iam saepe dereliquit et contraria, in dec. coram Massimi d. 14 jun. 1923, (ib. vol. XV, p. 105) dicitur praevalens in Rota. Ita AA generatim, v. g. Cappello (o. c. 345): « Vir sterilis est qui emittit semen destitutum spermatozoidis... »; Wernz-Vidal: « Existentia veri seminis in testiculis elaborati et vi generativa carentis v. g. quia caret spermatozoidis, est unus ex casibus sterilitatis ex parte viri... » (o. c. n. 218 n. 7).

Jure ergo Rota tenet hodie semen verum esse quodcumque, dummodo in testiculis elaboratum, etsi spermatozoidum expers.

6. — Posset obiici quod notio haec seminis est nimis subtilis et propterea infringit in scopulos supra notatos, de parum obvia cognoscibilitate praesentiae huius elementi in viri emissionibus, in quantum praecise, etsi spermatozoum expertis, distinguitur ab omni alio liquore ex aliis glandulis emisso.

Non desunt enim physiologici qui docent in testiculis non elaborari nisi nemaspermata et quod tota pars liquidi seminis accedit ex aliis organis, quando nempe nemaspermata a testiculis per diversos canales deferentes progrediuntur et a diversis glandulis aliquod liquidum accipiunt.

Dec. *Romana* supra (n. 2) citata affert loca phisiologi Luciani et Prof. Costantini qui hoc tenent; Ipsa, testibus contrariis adductis, ait: « Non posse proclamari (hoc) uti scien-

tifice certum »; eandem theoriam videtur sequi cl. Prof. Baglioni, peritus ex officio in praesenti causa, in Universitate Romana doctus phisiologiae magister:

« Il vero seme (sperma) — ait in peritia — è il prodotto di elaborazione di due sistemi di organi che costituiscono le glandole sessuali maschili per la loro secrezione esterna: l'uno è il sistema dei tubuli e canalini seminiferi, posti nel corpo dei testicoli, che formano gli elementi indispensabili alla fecondazione (spermatozoi o zoospermi o nemaspermi): l'altro è il sistema dei tubuli o canalini efferenti che si trovano nell'epididimo e formano il liquido in cui nuotano e vivono gli spermatozoi. Il vero seme è quindi una congrua miscela di spermatozoi, elaborati dal corpo dei testicoli e del liquido secreto dall'epididimo al quale nell'emissione del coito si unisce il liquido secreto dagli organi glandolari soprastanti (dei deferenti, delle vescichette seminali, della prostata) ».

Non obstante hac phisiologorum doctrina adhuc notio sustineri potest, cum iuxta sensum communem adhuc liquidum dicatur in testiculis elaboratum, quod non ex dydimis seu ex corpore testiculorum, sed etiam ex epidydimo provenit.

« In formula *semen in testiculis elaboratum* — ai Rota in cit. *Romana* — vox testiculi non restringitur ad didymos sed extenditur ad epidydimos; nam licet didymus et epididymus realiter sint duae res distinctae, tamen inter se cohaerent et in eodem scroto quisque didymus cum suo epididymo adhaerente existunt, atque unum quid moraliter constituunt.

Quod admittit Prof. Costantini peritus a nobis constitutus, qui in sua excussione iudiciali declaravit:

« Parlando del testicolo in generale comunemente si intende didimo ed epididimo insieme, però — addit — nel senso medico specifico si intende per testicolo soltanto il didimo ».

Nos autem in doctrina iuris canonici non adhibemus sensum medicum specificum, sed sensum communem.

Etsi igitur, dato non concesso, in didymo efformaretur prima pars liquidi, tamen hoc liquidum semper considerari debet ut semen in testiculis elaboratum ». Hucusque S. R. Rota.

Productio huius liquoris est activitas testiculi; sed tunc difficile posset cognosci impotentia si admittitur epididymitem constituere impotentiam eo quod clausus sit transitus liquidi; nam possent impervia esse initia canaliculorum epididymi, non

item partes caudae; liquor tunc ab illis partibus emissus, esset semper in testiculis elaboratus et ideo vir potens.

7. — Inquisitionibus his nimis subtilibus ad phisiologiam amandatis, dicendum verum semen adesse cum organa ad illud formandum et emittendum adsunt; si saltem unus testiculus non perfecte atrophicus adest, *exigitive*, ut dicamus, vel *potentialiter* adest verum semen, quamvis aliquando, causis non bene notis obvio sensu, absit de facto.

Hoc aperte docet cit. dec. *Romana* S. Rotae.: « Abstrahendo ab opere ipsius Dei qui solus creat et infundit animam spiritualem, ad producendam novam vitam requiritur tum opus hominis seu perfectus coitus naturalis, tum opus naturae, seu complexus causarum et actuum quae, respectu novae vitae producendae, in homine a natura habentur et peraguntur; opus naturae partim antecedit, partim concomitatur, partim subsequitur opus hominis.

Potentia coeundi exigit ut homo ad coitum afferre valeat id quod natura ei ad coitum afferendum imposuit. Imposuit autem natura utrique sexui afferendum id quod ad originem novae vitae requiritur, in quantum haec praecise pendet ab activitate coeundi. Hoc principium fundamentale eodem modo valet pro viro ac pro muliere, sed natura in activitate coeundi non idem imposuit praestandum viro ac mulieri. Ut enim coitus omnia exhibeat, quae ex parte coitus ad novam vitam requiruntur, ovaria mulieris nullo modo concurrere debent, at concurrere debent testiculi viri. Si testiculi concurrere omnino non valent, impossibile est virum ad activitatem coeundi conferre quae natura ei praestanda imposuit, ut coitus sit aptus ad novam vitam (in quantum ut dictum est, nova vita pendet praecise ab activitate coeundi); vir enim ex dispositione naturae ad actum coeundi et in actu coeundi afferre debet semen per se aptum ad vitam producendam. Haec autem viri potentia non respicit actum, sed ipsum subiectum quod ponit hunc actum, et quidem non actualem, sed habitualem dispositionem huius subiecti eamque talem quae regulariter ordinariis mediis vitae humanae detegi et cognosci potest, licet in extraordinariis circumstantiis specialis scientia et peritia requiratur ».

Et paulo post: « Vir qui testiculis (vel saltem alterutro testiculo) et canalibus communicantibus perviis praeditus est

(et vir supponitur praeditus esse donec contrarium probetur) censeri debet et est per se habilis ad effundendum verum semen, licet per accidens, ob aliquem defectum in opere naturae, spermia desint; aliis verbis, talis vir, tamquam potens ad praestandum obiectum contractus matrimonialis considerandus est... Illa activitas humana, quae est obiectum contractus matrimonialis, definiri debet et circumscribi non imprimis ex notitiis scientiae biologiae aut ex solo fine et effectu contractus matrimonialis, sed a communi et sano iudicio hominum de coitu naturali et de habituali dispositione subiecti eam peragentis. Hoc vero commune et sanum iudicium semper ignoravit et ignorat spermia, microscopio tantum detecta, atque perspectum habuit et habet, coitum exigere, ut subiectum coiens habeat testiculos, ex quibus requisitum semen ad coitum afferri queat ».

8. — Affertque Gemelli qui scribit in *Nuovo Digesto Italiano* (v. impotenza pag. 825 ss.):

« Pare opportuno far rilevare, come a me sembra evidente, che la Chiesa non ha voluto che una funzione così delicata ma così importante come la consumazione del matrimonio fosse fondata sulle nostre concezioni biologiche ed in continuo progresso di sviluppo. Se noi pretendiamo oggi fondare la nostra diagnosi di impotenza sulla presenza degli spermatozoi, domani, grazie ai progressi della biologia, dovremmo constatare altri elementi di fatto, ad esempio i costituenti biochimici dello spermatozoo: ma per questa via noi ci saremmo messi nella impossibilità di giudicare una azione umana che come tale, deve essere giudicata con criteri umani... La presenza dei testicoli ci permette di affermare che tutto l'apparato ha partecipato alla preparazione ed eiaculazione dello sperma. Infatti se clinicamente il testicolo è integro, se le vie spermatiche sono integre, che cosa può impedire che non vi siano gli spermatozoi nello sperma?

La mancanza può essere solo temporanea ».

9. — Revera nullus Auctorum ad verum semen discernendum requirit examen liquidi, sed omnes, cum copulam describunt, organa exigunt tantum, quibus semen elaboratur.

Sic Gasparri (o. c. n. 517): « (Impotentia habetur)... si membrum virile penetrare potest vaginam mulieris, ibi tamen

verum semen non deponens sed humorem quemdam semini similem, quod accidit quando vir caret testibus in quibus semen elaboratur... Idem plus minusve repetas, si testiculi adeo informes sunt ut semen elaborare nequeant ».

Idem Cappello (o. c. n. 342) « Ut poni possit huiusmodi copula requiruntur in viro: 1) virga 2) unus saltem testiculus ad verum semen efformandum ».

Eodem modo Wernz, Jus Decr. IV, 342; Wernz-Vidal, o. c. n. 224. Etiam S. R. Rota in cit. sententia coram Massimi: « evidentissime impotentes sunt qui utroque teste carent... Impotentes quoque sunt qui testes habent adeo informes ut semen elaborare nequeant... testium carentiae aequiparatur et earundem perfecta atrophia... »

10. — Principia supra posita de facili et obvia cognoscibilitate defectuum constituentium impotentiam, applicanda sunt, ut patet, ad quemcumque defectum. Iamvero iuxta plures AA. et praevalentem Jurisprudentiam Rotae, vir qui seminis transitum habet absolute impeditum, impotens censetur. (Cfr. coram Mannucci 29 julii 1920: Dec. vol. 12 pag. 215; coram Chimenti 6 dec. 1921; ib. vol. XIII, pag. 378; coram Massimi 14 iun. 1923, ib. vol. XV pag. 104 ss. et alibi saepissime).

Attamen etiam Rota contrarium tenuit aliquando, v. g. in dec. XXX 10 aug. 1922, Dec. vol. XIV pag. 272. Peritus Baglioni in nostra causa non admittit certitudinem huius defectus nisi ex sectis canalibus deferentibus, si de horum occlusione agitur: « La constatazione — ait — dell'impervietà diretta (dei deferenti) non è possibile sul vivente senza sezione, ma l'impervietà risulta indirettamente dall'esame microscopico del seme che è privo degli elementi fecondanti: zoospermi ». Omnes norunt e contra multas extare posse causas huius absentiae. Si facile huiusmodi occlusio cognosci nequit, eodem modo dicatur de occlusione canalium efferentium epididymi, eo vel magis quod potest occludi initium horum canalium, dum reliqua pars perficeret liquidum quod iuxta modum loquendi iurisprudentiae esset semen in testiculis elaboratum. Addas quod aliqui Periti dubitant de perpetuitate occlusionis deferentium (Cfr. Zino cit. in Rota, coram Quattrocolo 4 aug. 1931, qui ait: « Non credo che l'orchite e l'epididimite da flogosi blenorragica possano costituire fondamento a domanda di nullità

per impotenza... risulta all'evidenza (la pratica lo conferma senza dubbio) che la durata delle obliterazioni dei canali deferenti è transitoria...) immo non desunt AA. qui ipsos viros vasectomos potentes dicunt, et non solum ex dubia pepetuitate. Ita Vermeersch (De cast. n. 40-41); Creusen in Epitome i. c., ed. 4, II, n. 339; Gury-Tummolo-Jorio, Theol. Mor., ed. VI, vol. III, nn. 1171-1178; dubitanter etiam Cappello in o. c. n. 377; Aertnys-Damen in Theol. Mor., ed. 1939, II, pag. 487, tres AA. citat atque concludit: « Stante dubio, donec S. Sedes sese pronuntiaverit... matrimonium non est impediendum ». Quidquid sit de hac quaestione quae ad casum nostrum non pertinet, fatendum tamen certae et perpetuae totalis occlusionis factum difficile cognosci posse mediis obviis: ius non adeo certum esse; loquendum esse proinde de dubia impotentia et hinc potius de sterilitate (can. 1068 § 2): si ergo adsunt testes non perfecte et totaliter atrophizati, secretio et excitatio interna non deest ex qua appetitus sexualis pendet et characteres secundarii virilitatis cum servata capacitate copulae satiativae, sensu communi, hic non censetur esse sicut eviratus; defectus non est externus, apparens, cognoscibilis.

11. — Hucusque tradita principia coharent cum praesumtionibus Codicis tum circa valorem matrimoniorum contractorum (can. 1014) tum de non impediendis nuptiis nisi de impedimentis certo constet (can. 1035); simulque tradunt impedimenti, quod a fidelibus ignorari nequit, notionem facilem et obviam et omnibus intelligibilem, sacramenta enim, etiam hoc sensu, i. e. in quantum ab omnibus eorum validitas et essentiales conditiones agnosci valent, sunt propter omnes homines et non tantum pro viris doctis; denique sinunt canonistas et iudices nostros relinquere phisiologis et medicis dissertationes phisiologicas, quae quidem ipsis sunt propriae, nobis autem iniucundissimae.

12. — Ultimo loco adnotandum est exigere Codicem antecedentiam et perpetuitatem impotentiae: existentibus ergo dubiis positivis circa alterutram qualitatem, matrimonium non est impediendum (can. 1068 § 2) nec contractum solvendum.

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

DE NOVA DISCIPLINA MATRIMONIALI ECCLESIAE ORIENTALIS

Iam a plerisque annis Pontificia Commissio a Pio Papa XI instituta strenue adlaborat ut legum Ecclesiae Orientalis codificationem praeparet. « Dum haud multum abest ut absolvatur » — ita legimus in documento pontificio de quo agimus — ut gravibus et perniciosis rerum adiunctis in quibus aliquae Orientalis Ecclesiae partes versantur, efficacius provideatur, Summus Pontifex Pius XII, nulla interposita mora, singula quaedam capita, magni quidem momenti promulgare constituit. Ita die 22 Februarii 1949 Motu proprio lex de disciplina Sacramenti matrimonii pro Ecclesia Orientali prodiit quae vigere coepit die 2 Maii eiusdem anni. Die 6 Ian. vero huius anni litterae Apostolicae Motu proprio de Iudiciis pro Ecclesia Orientali publicatae sunt, quae executionem suscipere incipient die 6 Ian. proximi anni.

Notum est in Oriente Proximo christianos inter mahumetanos viventes ex longo tempore propriis « statutis personalibus » qui dicuntur, regi. Non desunt autem nostra aetate qui eis quoque legem communem status non christiani, magna ex parte ex Qurano iureque islamico desumptam imponere studeant. Quod ut vitetur summopere necessarium est ut christiani auctoritatibus civilibus propriae legis bene determinatae exemplar exhibere valeant. Non fallitur fortasse qui hic unam saltem ex causis novarum legum promulgationis inveniri iudicet.

Ex duobus documentis hoc in loco prius tantum breviter commentabimur, indicatis praesertim differentiis quae inter ius latinum Codicis Iuris Canonici et ius orientale Motu proprio statutum inveniuntur.

In primis attentionem movet similitudo utriusque legis. Plerique canones iisdem plane verbis concepti sunt. Non mirum tamen; nam et latini Episcopi et orientales multi ante petiverant ut disciplina matrimonialis, quatenus fieri possit, aequalis redderetur. Hodie praesertim ubi orientalis Ecclesiae fideles per totum mundum diffusi inter Latinos vivunt, ex disciplinae in hac re diversitate multae et graves difficultates oriuntur.

Tamen haec similitudo non eo procedit ut omnes differentiae inter ius latinum et ius orientale suppressae sint. Tum traditionum orientalium tum locorum necessitatum debita habita est ratio.

Non tam ad ritum spectat quam ad iuris progressum quod in Motu proprio receptae sunt decisiones et responsa a Sancta Sede data post promulgationem Codicis iuris canonici, v. g. in can. 27

(= c. 1037 C. I. C.), can. 34 (= c. 1044), can. 35 (= c. 1045), can. 87 § 1 (= c. 1096 § 1), can. 120 § 2 (= c. 1131) etc.

Aliae varietates spectant *leves quasdam correctiones* quae legis sensum clariorem reddunt et melius determinant, v. g. can. 89 (= 1098), can. 104 § 2 (= c. 1115 § 2), can. 68 § 1, 1 (= c. 97 § 1).

Praeterea modus dicendi interdum *linguae latinae* classicae melius adaptatur et in terminorum electione maior claritas et exactitudo quaeritur, v. g. can 85: facultas fit (c. 1094: delegari), cap. III: impedimenta prohibentia (C. I. C.: impedimenta impedientia), can. 10: de parochi investigatione huiusmodi (c. 1020 § 3: pro huiusmodi parochi investigatione), etc.

Ad diversitates Motu proprio introductas pertinent etiam *mutationes terminorum* qui traditioni orientali magis respondent; ita sermo est de Hierarcha loci (loco: Ordinarii loci), de Syncello (Vicario Generali), de eparchia (dioecesi), de sacramento chrismatis (confirmatione), de synodo (concilio), de divina Eucharistia (sanctissima Eucharistia).

Sed haec omnia minoris gravitatis sunt; transeamus iam ad differentias quae tangunt *ipsam substantiam* iuris.

Si ad effectum *sponsalium* quod attinet, ius novum non differt a iure latino, forma celebrandi sponsalia a iure latino sat diversa praescribitur can. 6. Nam non scripto documento, sed orali declaratione sponsorum opus est ut sponsalia valide contrahantur. Neque sine parochi vel Hierarchae loci, vel sacerdotis cui ab alterutro facultas facta sit assistendi, sponsalia valide iniri possunt. Non satis est interventus testium, ut in iure latino.

Canones Codicis iuris canonici *de publicationibus* conservati sunt in Motu proprio, sed applicantur tantum si iure particulari publicationes praescribuntur. *Facultates dispensandi* ab impedimentis matrimonialibus ipso Motu proprio Patriarchis et Episcopis conceduntur, non, ut in iure Codicis, concessioni facultatum quinquennalium relinquntur. Fieri enim non potuit quin ratio haberetur privilegiorum et facultatum quibus Patriarchae et Episcopi orientales ex immemorabili fruuntur.

Impedimenta prohibentia eadem sunt atque in Codice I. C., addito tamen impedimento tutelae, ubi id lege civili statutum est. Praeterea votum privatum suscipiendi subdiaconatum vel ordinem maiorem impedimentum constituit « tantum in ritibus in quibus clerici a recepto subdiaconatus ordine obligatione servandi sacrum caelibatum tenentur », ut pervium est.

Maior quaedam diversitas in *impedimentis dirimentibus* invenitur. Non quod ad species impedimentorum attinet; nam eaedem sunt, addito tantummodo hic quoque impedimento *tutelae* ubi haec in iure civili impedimentum dirimens constituit, (can. 71). In Motu

proprio vero impedimentum *disparitatis cultus* eandem amplitudinem conservat quam ante Codicis I. C. promulgationem etiam in iure latino habuit. Non solum in catholica Ecclesia baptizati, sed omnes baptizati invalide matrimonium contrahunt cum persona non baptizata, can. 60 § 1. Cum apud omnes fere Orientales subdiaconatus non inter *ordines maiores* recenseatur, necessarium erat ad eum quoque matrimonii impedimentum expressa mentione extendere, can. 62 § 2. Id sane ius antiquum retinet; non omnes sane neque catholici neque dissidentes id usque ad nostrum tempus servaverunt.

In computando gradu *consanguinitatis* vel *affinitatis*, iure canonico latino, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae; si duo tractus sint inaequales, quot generationes in gradu longiore. Iure canonico orientali gradus utriusque lineae adduntur. Haec computationis diversitas substantialem differentiam producere potest. Ita iure latino non habetur impedimentum si altera persona quattuor, altera duobus gradibus a stipite distet; habetur iure orientali.

Praeter affinitatem inter coniuges et consanguineos alterius coniugis existentem qua iure communi matrimonium irritatur, iure particulari impedimentum oritur et inter consanguineos unius coniugis et consanguineos alterius et inter eos qui duplici matrimonio intervenient affines sunt (trigeneia). Haec vero nunc reducta est ad primum gradum seu non excedit limites impedimenti iure Romano statuti.

Secundum ius orientale antiquum *cognatio spiritualis* oriebatur inter baptizatum et patrinum tantum, non inter baptizatum et baptizantem. Quod hodie in Motu proprio servatum est, can. 70 § 2. Patrinus vero non solum cum baptizato, — ut iure Codicis — sed etiam cum eius parentibus impedimentum contrahit.

Praeter exspectationem fortasse ne in capite « de consensu matrimoniali » quidem differentiae desunt, eaeque non minoris momenti. Nova lex, non secuta Codicem Iuris Canonici (c. 1087 § 1), impedimentum *metus gravis* ibi tantum admittit, ubi occurrit vis vel metus gravis extrinsecus et iniuste incussus « ad extorquendum consensum », can. 78 § 1. Iure orientali igitur non solum timentis sed etiam metum inferentis attendenda est intentio. Quod hodie non concedunt plerique Codicis I. C. commentatores.

Procurator in matrimonio celebrando Motu proprio difficilius admittitur quam Codice I. C. Requiritur ut Hierarcha loci in casu singulari hanc facultatem dederit, eamque dare potest tantum in casu necessitatis id est si contrahentes, ob gravem causam, sacerdoti se una simul sistere nequeunt.

Vel magis recedit a Codice I. C. nova lex matrimonialis pro Orientalibus, cum matrimonium *sub condicione* contrahi non posse edicit, can. 83. Haec omnia concordant cum traditione orientali et cum consuetudine universali matrimonium cum benedictione sacerdotis contrahendi.

Non pauca dicenda essent de *forma celebrationis matrimonii.* Quod ad substantiam attinet, repetuntur quae statuta sunt Codice I. C. Additur vero ad validitatem formae ut matrimonia contrahantur ritu sacro; « sacer autem censetur ritus... ipso interventu sacerdotis assistentis et benedicentis », can. 85 § 2. Non praescribitur determinata forma benedictionis, sed satis est ut sacerdos externo ritu matrimonio vere benedicat. In can. 86 § 3 et 87 § 3 peculiaris ratio habetur Orientalium qui extra proprii ritus territorium versantur et curae cleri alius ritus subiecti sunt.

Ut matrimonio licite assisteret, usque ad id temporis parochus in aliquibus ritibus indigebat licentia Hierarchae loci; quod Motu proprio non abrogatur, sed confirmatur, «si ita ferat ius particulare », can. 88 § 2. Iure orientali non parochus sponsae, ut iure latino, sed parochus sponsi matrimonio licite assistit, nisi vel legitima consuetudo aliud ferat — ut apud Ruthenos — vel iusta causa excuset, can. 88 § 3.

Locus matrimonii est ecclesia, etiam si agatur de matrimonio cum acatholico contrahendo; neque celebratio missae aliarumque sollemnitatum interdicitur. Cum enim acatholici orientales sine his matrimonium validum iniri non posse iudicent, timendum est, ne, his interdictis, pleraque matrimonia apud dissidentes contrahantur. Idcirco omissi sunt v. g. can. 1102, 1109 § 3.

Tempore vero *sacro* in pluribus ritibus orientalibus non solum sollemnitas nuptiarum sed ipsae nuptiae interdicuntur, in reliquis tantum sollemnitas; quae Motu proprio, can. 97 § 2 statuuntur.

His brevem praecipuarum differentiarum conspectum dedisse arbitramur. Volumus autem in fine aliqua novae legis statuta attingere quorum cognitio non solum ad Orientales sed etiam ad Latinos spectat.

Et primo quidem usque ad id tempus disputabatur utrum parochus latinus in suo territorio valide assisteret matrimonio duorum Orientalium an secus; quod can. 1094/1095 non clare decidi plures iudicaverunt. Nunc vero patet id negandum esse praeter casum de quo can. 86 § 3, 2° et 3°. Nam si quis id non directe ex can. 86 § 1, 2° deduci posse censeat, (eo quod haec norma tantum parochum orientalem attingat), id eruitur saltem ex can. 90 § 1, 1° seu indirecte ratione fidelium orientalium qui matrimonium validum inter se inire non possunt nisi servatis praescriptis can. 86 § 1, 2° (cf. can. 90 § 1, pr.) i. e. coram parocho sui ritus. Ceterum,

quod parochus latinus valide assisteret matrimonio quorumlibet orientalium fidelium, parochus orientalis invalide assisteret matrimonio Latinorum, id nostra aetate qua omnes ritus inter se aequales esse dicuntur, vix ferri potest.

Altera quaestio est de parocho qui valide assistit matrimonio mixti ritus, quod contrahitur inter latinum et orientalem. Cum enim forma Motu proprio statuta differat a forma quae Codice I. C. praescribitur, quaeritur quae lex huic matrimonio applicetur? Usque ad promulgationem novae legis orientalis haec matrimonia vi can. 1099 § 1, 3°, ut valida essent, ineunda erant secundum formam Codice I. C. stabilitam. Haec norma in Motu proprio iam non apparet ideoque omnem vim amississe dicenda est; nam « lex posterior, a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut sit illi directe contraria, *aut totam de integro legis prioris ordinet materiam...* » can. 22 C. I. C. « Reordinando complete quamdam materiam, legislator manifestat mentem suam integram et voluntatem *quam extra legem novam inquirere non debemus* », A. van Hove, *De legibus*, p. 355 (Nos sublineavimus). Cf. H. Cicognani-D. Staffa, *Comment, ad librum I C. I. C.*, t. I, p. 357. Ceterum, comparando can. 1099 C. I. C. cum can. 90 manifestum est auctorem legis novae de proposito omisisse § 1, n. 3°. Porro certum est nihil dici de matrimonio mixti ritus inter latinum et orientalem in can. 90 § 1, 1°. Hic enim sermo est de eis qui in Ecclesia catholica baptizati sunt et ad quos pertinet Motu proprio ex eius destinatione, i. e. de orientalibus in Ecclesia catholica baptizatis « quoties inter se matrimonium ineunt ». Sed neque opus est; nam clare respondetur quaestioni nostrae can. 86 § 1, 2°, seu can. 1095 C. I. C. Nam ex his apparet et parochum orientalem et parochum latinum intra fines proprii territorii valide assistere matrimonio mixti ritus, dummodo parochus orientalis servet praescriptum can. 85 et 86, parochus latinus autem praescriptum can. 1094 et 1095 C. I. C. Matrimonium mixti ritus igitur valide contrahitur coram parocho territorii utriusque partis, dummodo hic servet praescripta sui ipsius ritus. (Supponimus verba « modo sint sui ritus » can. 86 § 1, 2° hunc sensum habere: « modo alteruter saltem sit sui ritus ». Sed talem esse sensum facile probatur. Nam si parochus valide assisteret matrimonio tantum in quo ambae partes sui ritus sunt, nullus parochus matrimoniis mixti ritus valide assistere posset. Porro in can. 88 § 3 determinatur qui parochus licite matrimoniis mixti ritus assistit. Supponitur igitur eum valide assistere posse, quamquam alteruter tantum contrahentium sui ritus est).

Tertio loco: quaestio ponitur de sponsalibus *mixti ritus*. Cum forma ad validitatem sponsalium praescripta alia est pro Latinis,

alia pro Orientalibus, quaeritur quaenam sit servanda in sponsalibus inter personas horum duorum rituum celebrandis. Videtur dicendum liberum esse sponsis sponsalia sive secundum ritum latinum sive secundum ritum orientalem inire, servatis tamen omnibus quae in ritu electo ad validitatem sponsalium praescripta sunt.

Ecclesia Orientalis Motu proprio « Crebrae allatae sunt » novum ius matrimoniale accepit quod traditione innixum, sed nostri temporis necessitatibus aptatum, solidum fundamentum praebet huic instituto in vita personali et sociali gravissimo. Non dubitamus quin haec lex valide ad prosperitatem venerandarum Ecclesiarum Orientalium sit collatura. Votum autem facimus ut reliquae partes Codicis Orientalis mox in lucem prodire valeant ita ut catholici orientales sapientibus legibus directi in dies efficacius missionem suam exercere possint, reditum fratrum separatorum Orientis curandi.

Aemilius Herman S. I.
S. C. pro Ecclesia Orientali Consultor.

AN S. R. ROTA RESTITUTIONEM CONCEDERE VALEAT CAUSARUM MATRIMONIALIUM QUAS IPSAMET PEREMPTAS DECLARAVIT. (can. 1603 par. 1 n. 4)

Prima fronte videretur respondendum affirmative, duplici de ratione:

1. — Causae matrimoniales numquam transeunt in rem judicatam et retractationem natura sua admittunt.

2. — Art. 81, qui refertur ab art. 84 Normarum S. R. Rotae, distinguit inter desertionem appellationis et peremptionem. Atqui peremptio instantiae in tantum est admittanda in quantum « post contestatam litem vel ultimum actum processualem annus defluxerit ». In casu peremptio iuridice defuit qua contestatio litis peracta non fuit coram H. S. T.

Ast sedulo re perpensa notamus:

Ad 1. — Verum est causas matrimoniales numquam transire in rem iudicatam et admittere retractationem. Certissimum hoc est: immo addo, ex art. 217 Instr. S. C. Sacram. diei 15. 8. 36: « non exceptis casibus in quibus appellatio defuerit vel deserta aut perempta fuerit ». Ast retractatio fieri debet servato modo procedendi in lege statuto. Atqui Normae S. R. Rotae statuunt beneficium restitutionis in integrum impetrandum esse a Signatura Apostolica (Art. 84).

Singularis quidem videri potest lex; namque restitutio in integrum eatenus conceditur quatenus deserta appellatione vel maturata peremptione, sententia appellata transiit in rem iudicatam. Atqui causae matrimoniales non transeunt in rem iudicatam. Ideo Cl. Bernardini exoptat correctionem in nova Normarum editione « saltem in eo quod attinet ad causas de statu presonarum » (C. Bernardini, *Leges processuales vigentes apud S. Rotae Tribunal*, Romae 1947 p. 40).

Hoc tamen valet de jure condendo.

Legis qua utimur fundamentum quidem est res iudicata adversus quam legislator concedit restitutionem in integrum, idque congruenter ad can. 1603 § 1 n. 4, sed eius extensio non limitatur ad causas iurium, verum complectitur causas quoque de statu personarum; ideo dicendum est heic agi de speciali procedendi modo qui servandus erit, prout a legislatore conditus seu statutus fuit, donec contrarium edicatur.

Ad 2. — Ne confusiones oriantur quorum futura lugenda consectaria hodie vix omnia praevideri possent, funditus rem tractare iuvabit.

a) In can. 1732 edicitur: « Instantiae initium fit litis contestatione; finis autem omnibus modis quibus iudicium terminatur, sed et antea non solum interrumpi, verum etiam finiri potest sive peremptione sive renuntiatione ».

Exinde videretur concludendum nullam haberi posse *interruptionem* aut peremptionem *lite non contestata* per dubii concordationem; usque dum enim « litis obiectum, per contestationem non est declaratum, non potest dici formaliter incepta instantia ». (Lega - Bartoccetti, *Comment. in iudicia ecclesiastica,* II, Romae 1939 p. 565).

Sed relatio iuridica processualis iam citatione perficitur (F. Roberti, *De processibus,* Romae 1941 p. 79), qua *iudicium* initium habet (Lega - Bartoccetti, o. c. II, p. 565) et lis incipit pendere (can. 1725 n. 5). Obiectum quidem nondum determinatur sed iudicium iam existit. Quare ante litis contestationem et interrumpi potest, licet forte non agatur de interruptione in sensu canonis (Lega - Bartoccetti, o. c. p. 579) et *perimi.*

Si Codex loquitur de peremptione *instantiae* (c. 1732) verbum « *instantia* » sumendum est non « stricte et formaliter », sed latiori sensu, seu quatenus « *virtualiter et effective* initium habet a momento quo decretum citationis per denuntiationem remissum est adversae parti, adeo ut habeatur litis pendentia (can. 1725 n. 5) et in eodem largiori sensu de quo in can. 1740 § 1 statuitur posse instantiae renuntiari *in quolibet statu et gradu iudicii,* seu etiam *ante litem contestatam,* sed postquam *iudicium* coeptum est per denuntiationem decreti citationis » (Lega - Bartoccetti, o. c. II, p. 583 n. 3).

Ante citationem, reo intimatam, sermo esse nequit de peremptione, quia non perimitur quod non existit.

Reus ipse fortasse libellum ab actore exhibitum ignorat.

b) *Aliter tamen dicendum est de gradu appellationis.*

Processualis relatio inter actorem, iudicem et reum iam perfecte existit; non de novo processu agitur sed de distincta phasi seu *gradu* eiusdem *iudicii.* Quare et perimi potest ante citationem ipsam si per annum nullus ponatur actus processualis. Codex quod ad hunc quoque gradum loquitur de peremptione instantiae (can. 1736). Verbum tam ut supra intelligi debet, scil. de iudicio. Idcirco Em.us Lega docet: « Annus (ad maturandam peremptionem) computatur *ab exhibitione libelli* quo iudicis appellationis invocatur ministerium » (l. c. II, p. 993).

Normae S. R. Rotae, art. 81, stricte videntur adhaerere verbis canonis, atque loquuntur *de desertione appellationis quoties per annum* nullus ponatur actus processualis quin obstet impedimen-

tum. Annus decurrit a die quo appellatio pervenit ad S. Rotam. Sermo autem est *de peremptione instantiae* si annus defluxerit post *litem contestatam,* vel ultimum actum processualem positum.

Sed iam in § 4 sermo est *de peremptione* instantiae praescindendo a contestatione litis: quoties enim agitur de causa in gradu appellationis a sententia rotali, *desertio appellationis* habetur si nullus actus processualis ponatur *per mensem; peremptio* vero maturatur post annum ab ultimo actu processuali (silet de contestatione litis).

Effectus autem sive peremptionis sive desertae appellationis idem sunt: causa *finita censenda* est, et ideo acta mittuntur ad Archivum Tribunalis.

c) In art. 84 remedia proponuntur, seu indicatur quomodo apud S. R. Rotam causa ut supra *finita,* possit iterum tractari, atque edicitur recursum faciendum esse ad Signaturam Apostolicam.

Nec dicatur beneficium restitutionis in integrum limitari ad peremptionem declaratam; verbum enim « peremptio » heic evidenter *lato sensu* sumendum est. Nam antea dicitur: « Ut causa *quoquo modo finita* iuxta art. 81 iterum tractari etc. »; ergo etiam causa finita per declaratam desertionem appellationis.

Secus art. 84 qui vult statuere modum retractandi *causam finitam* ad normam 81, limitaret indicationem ad causam finitam a) per peremptionem stricto sensu; b) per expiratam Commissionem.

Nihil statueret de causa finita per declaratam desertam appellationem, et absque sensu maneret atque otiosum verbum initiale « *quoquomodo* ».

Confirmatur quia, quando voluit a recursu ad Signaturam aliquam causam excipere ex illis quae quoquomodo declarantur finitae, id expresse dixit. In fine enim art. 84 excipit expresse causam iure proprio in prima instantia cognoscenda a S. Rota. Cur, si id voluisset, non excepit expresse causas finitas per declaratam desertionem appellationis?

Demum fingamus casum alicuius appellationis a sententia rotali, in causa *iurium,* quae declaretur deserta (art. 81 § 4). Interim sententia rotalis appellata transiit in rem iudicatam. Quodnam praesto erit remedium? Nisi interpretari velimus art. 84 prout nos contendimus, non esset recurrendum ad Signaturae Apostolicae Supremum Tribunal, sed restitutio in integrum ab ipsa S. R. Rota esset petenda. Atqui hoc contradiceret aperte canoni 1605 § 1, 4° tribuenti Signaturae Apostolicae potestatem ordinariam videndi de postulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam quae in rem iudicatam transierit.

d) *Concludendo* - 1°) Si declaretur finita causa cognoscenda in prima instantia a S. R. Rota iure proprio, (art. 81 § 1), partes poterunt directe adire S. R. Rotam, causam iterum proponendo per novum libellum (art. 84).

2°) Si declaretur expirata Commissio, recurrendum erit ad Signaturam Apostolicam ad obtinendam novam Commissionem (art. 84).

3°) Si appellatio declaretur deserta, aut instantia perempta, licet impedimentum aliquod obstiterit quominus pars ulterius procederet, recursus patet ad ipsam S. R. Rotam ad obtinendam revocationem decreti, probato tamen asserto impedimento. Tunc enim propter impedimentum existens, revera nulla peremptio vel desertio *ipso iure* maturata est (can. 1733, art. 82 Norm. S. R. Rotae).

4°) Si appellatio declaretur *deserta* ad tramitem art. 84 § 3, 4, vel instantia perempta (ibid), sive agatur de causis iurium sive de causis circa statum personarum, iure quo utimur, recurrendum erit ad Signaturam Apostolicam ad obtinendum beneficium restitutionis in integrum (art. 84).

Joannes M. Pinna
Defensor Vinculi S. R. Rotae

DE JURE AGENDI IN IUDICIIS ECCLESIASTICIS COMMUNISTARUM ALIORUMQUE ACATHOLICORUM.

1. Actor quidam nullitatem sui matrimonii accusavit ob exclusum bonum prolis, fidei et sacramenti ex parte sui ipsius.

Superata quaestione de habilitate ad accusandum et sententia favorabili obtenta apud tribunal primae instantiae, causa in appellationis gradum conscendit, in 2ª et 3ª instantia.

2. Vinculi tutor, antequam meritum ingrederetur, haec de actore animadvertit: piis ortus parentibus et in catholicae religionis cultu educatus, sensim sine sensu, studiorum causa et immanis belli nuper transacti occasione, crysim religiosam passus est, ita ut aperte fateri nunc non vereatur incredulitatem et atheismum, factioni communistarum insuper adscriptus, eius doctrinam conferentiis divulget, dogma catholicum circa matrimonii sacramentalitatem eiusque indissolubilitatem sive in disputationibus cum propinquis et amicis sive coram iudice, pro tribunali sedente, iactanter deneget.

3. E conspectu talis ac tantae confessionis, censuit Defensor Vinculi exceptionem movere contra actoris ius standi in iudicio.

Imprimis, enim, cum vir se profiteatur incredulum, dicendus est, ad normam can. 1325 § 2, *apostata,* utpote totaliter a fide christiana recedens.

Iamvero, iuxta declarationem S. Officii diei 8 maii 1936, apostatae a fide recensendi sunt, in ordine ad accusandum matrimonium, inter acatholicos, ad effectus declarationis S. Officii diei 18 ianuarii 1928 [1]. Eadem S. Congregatio die 10 ianuarii 1940 proposito dubio: « an inter acatholicos, qui iuxta decretum S. Officii diei 18 ianuarii 1928 in causis matrimonialibus agere prohibentur, connumerandi sint apostatae a fide », respondit: « *Affirmative* » [2].

Insuper actor, vi can. 1325 § 2, videtur esse *formalis* et *notorius haereticus;* ergo acatholicus, in sensu declarationis S. Officii diei 18 ianuarii 1928 [3].

Can. 1325 § 2 statuit: « Post receptum baptismum si quis... pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis *denegat* aut de ea *dubitat, haereticus* ».

Actor, autem, prouti vidimus, non solum cum testibus sed etiam coram iudice se professus est atheum ac quaedam dogmata catholica expressis verbis reicientem. Et notetur, quod dogmatum denegatio ex parte iuvenis, philosophiae doctoris, est habenda for-

[1] Coronata, Interp. authent. 1940, p. 383, n. 7.
[2] *A. A. S.* v. 32, p. 52.
[3] *A. A. S.* v. 20, p. 75.

malis, cum ipse optime cognoscat doctrinam catholicam in qua educatus fuerat, primis ab incunabulis, cuiusque praecepta olim devote observaverat. Non agitur, ergo, de ignorantia dogmatum, sed de aperta fidei abiectione.

4. Denique, si consideretur ipsa factio politica, cui actor mordicus nunc adhaeret et cuius principia cum sana doctrina Ecclesiae et societatis civilis pugnantia aperte defendit eaque per conciones, summo studio, diffundit, nemo est qui illum de haeresi non arguat et inter excommunicatos non recenseat[4]; et, qua talis, valent pro ipso, quoad usum iurium ecclesiasticorum, quorum unum est ius actionis, cann. 87 et 1628, § 3.

5. Huic thesi calculum suum definitivum adiecit Decretum S. Officii, elapso anno editum, nempe, die 1 iulii 1949, quod proposito dubio sub n. 4: « Utrum christifideles, qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur, et imprimis qui eam *defendunt* vel *propagant, ipso facto,* tamquam apostatae a fide catholica, incurrant in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam », respondit: « *Affirmative* ». Decretum, igitur, excommunicatos declarat eos qui, communistarum factioni adscripti, eius doctrinam materialismo imbutam, interius acceptant exteriusque profitentur.

Notetur, tamen, S. Officium nullam applicare normam peculiarem contra communismi sectatores, sed solummodo *declarare* ipsis, *ipso facto,* applicandas esse binas Ecclesiae leges, quae in iure canonico continentur.

Prima lex, ut vidimus, est can. 1325 § 2, qui dat genericam apostatae definitionem; altera, vero, est can. 2314, qui ipso facto excommunicationem S. Sedi speciali modo reservatam inurit illis qui crimine apostasiae maculantur. Animadvertendum, denique, S. C. S. Officii sua declaratione diei 1 iulii 1949 opportune et clare distinguere inter simplices asseclas fautoresque communismi et illos qui etiam doctrinae materialisticae marxismi interius adhaerent; primi a sacramentorum receptione arcendi sunt, si *scienter et libere* nefastam factionem amplectantur, quod secumfert plenam et deliberatam voluntatem aliquid faciendi illicitum et absque emendationis signis; alteri, vero, excommunicati declarantur, et consequenter ius amittunt actionis in iudicio, ad normam praecitatorum canonum et auctoritatis ecclesiasticae dispositionum.

Quae quidem distinctio inter primam et alteram classem semper prae oculis habenda, praesertim ad effectus applicationis censurae, quae personam baptizatam suis iuribus et officiis privat. Sicuti enim plures habentur fideles, qui se Sanctae Matris Ecclesiae

---

[4] Cfr. can. 2314, § 1, n. 1.

filios addictissimos dictitent eamque ob solos fines materiales plerumque adiuvent, et tamen eius doctrinam vel negligunt vel operibus infitiantur, ita etiam plures dari possunt qui communistarum factioni adscribuntur motivis ducti solummodo oeconomicis vel politicis, quin aliquo modo attendant ad eius doctrinam religiosam; isti, ut planum est, excommunicationis censura haud inuruntur. Quam, versavice, incurret qui communismi doctrinam religioni christianae contraria profitetur, quin factioni inscribatur eique adversetur in re oeconomica et sociali.

His positis notionibus et declarationibus, patet quid in casu nostro sentiendum sit. Dicitur enim actor non solum nomen dedisse communistarum factioni, sed etiam concionibus eam divulgare ac dogmata circa matrimonii sacramentum non amplius acceptare. Quid aliud requiritur ad eum extra fidelium communitatem declarandum?

6. Et tamen Iudices appellationis aliter prorsus opinati sunt.

In *linea iuris,* licet ipsi leges et ecclesiasticas dispositiones in themate apostasiae et haeresis, quatenus impeditivas iuris actionis in iudicio, a Vinculi tutore concinnatas, agnoverint ac confirmaverint, tenuerunt tamen hodie, secus ac elapsis saeculis, ob confusionem gentium tam diversarum indole et cultu totius mundi, ob erroris propagationem per scripta typis impressa, aliaque innumera inventa, haud facile discerni posse num recessus alicuius a sua religione fructus malitiae sit vel potius ignorantiae ac levitatis.

Adnotarunt insuper Iudices quod si rigide conceptum apostasiae quis urgere vellet, quomodo se gerere debuisset erga liberales, doctores in universatibus, administratores Status, qui inter catholicos accedunt et ut tales recipiuntur? Nonne tota liberalismi doctrina reducitur ad errores subvertentes fidem damnatos strenue a Summis Pontificibus? Sed fere omnes profitentes liberalismum mentem figunt in amore patriae super ratione religionis, separatione Ecclesiae a Statu ac similibus, in quibus non vident errores. Ideo non immane esset eos inter apostatas recensere? Evidenter illius doctrina materialistica, ex opposito, spiritualismo christiano repugnat; ac certe pariter huius sectae *duces doctique sectatores,* uti apostatae generatim habendi sunt; sed massa informis agricolarum atque operariorum, qui etsi dent nomen factioni, nihil aliud in ea vident praeter medium ad meliorem statum sibi vindicandum; quibus accenseri possunt aliqui fanatici; numquid agmen apostatarunt constituerunt?

Non inficitur sententia appellata apostasiam esse delictum, sed pariter admittit plures dari casus in quibus *dolus* praecipue, de quo in can. 2200 § 1, minime adest, ac proinde extrema delicti ad

auferendum ius accusandi matrimonium et standi in iudicio plerumque non inveniuntur.

7. Quae argumentationes, seu melius difficultates suam solutionem inveniunt sive in eiusdem sententiae verbis sive in declaratione S. Officii diei 1 iulii 1949, sive denique in nostris adnotationibus superius expositis.

Iudices enim alterius instantiae optime distinxerunt inter doctos et ignorantes sectae communistarum asseclas, illos certae apostasiae arguentes, hos, vero, facile excusantes.

Praeterea ex ipsis verbis Decreti S. Officii diei 1 iulii 1949 non difficile erit in fide labefactatos dignoscere. Ut enim — iuxta praefatum decretum — delictum oriatur apostasiae et consequens excommunicatio applicetur, requiritur et sufficit ut quis communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profiteatur vel defendat vel propaget. Necessaria igitur non est communistarum factioni inscriptio ad excommunicationem habendam, sed satis est assensus eius doctrinae materialisticae, uti superius notavimus.

8. *In linea facti* Iudices, praehabito quod apostasia est delictum et ideo dolum requirit ad normam can. 2200 § 1, in casu extrema delicti ad auferendum ab actore ius accusandi matrimonium quin adierit S. Officium, non viderunt, virum recensentes solummodo inter ephebos theoriae communistarum fanaticos et mentis incitatos qui leviter tantum sese incredulos iactitant absque interna et seria adhaesione deleteriae doctrinae.

9. Sed est, quod idem praecitatus canon in § 2 statuit: « Posita externa violatione legis, dolus in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur ». In casu autem ipsa sententia appellata quaedam adiuncta admittere debuit, quae bonam actoris fidem penitus excludere videntur; concedit nempe: a) actorem recte in religione educatum fuisse, et eousque ad vigesimum primum aetatis annum pia quoque exercitia in praxi habuisse; b) postea, frequentando litteraturae ac philosophiae curriculum in Universitate Studiorum factum esse *incredulum usque ad atheismum;* c) vere sibimetipsi cohaerentem iuvenem philosophum *deridere* ac *spernere* parentes et amicos, qui ab eius tam novissimis doctrinis remoti sunt; d) elapso bello, doctorem communistarum factionem *mente* et *opere* secutum esse; e) ideas fovisse contra matrimonii indissolubilitatem et unitatem; f) in tribunali, coram iudice ecclesiastico, declarasse se *incredulum* esse, ac proinde nesciisse quodnam haberet pondus ac vim iusiurandum de veritate dicenda.

10. Quibus concessis et admissis ab ipsa appellata sententia, binae prono veluti alveo profluunt interrogationes: a) admittendane ignorantia, quae a censura eximit, in viro antea principiis christianis imbuto, postea vero, philosophiae ac litteraturae studio in

incredulitatem elapso? b) excludendusne dolus, poenam inducens, a viro, qui *mente* i. e. actu interno, voluntario et libero, et *opere*, i. e. totis viribus, factionem sequitur ac divulgat ab Ecclesia damnatam?

11. Nec dicas conditionem actoris communistae in facie Ecclesiae comparari posse conditioni docti cuiusdam, qui mentem figit in amore patriae et societatis super rationes religionis, vel conditioni agricolae et operarii, qui nomen factioni dat solummodo ad meliorem statum oeconomicum sibi vindicandum. Quaestio potius et praecipue vertit super adsertam dogmatum denegationem, quae haeresim secumfert, vel supra totalem a fide recessum; quae dicuntur in actore verificatae; vel tandem quaestio vertere debet super doctrinam materialisticam cui adhaerere potest communistarum gregarius vel quilibet alius. Et si unus detur ex his casibus, habebis formalem *haereticum*, vel *apostatam*, poena excommunicationis inustum, ac proinde iure agendi in iudicio spoliatum.

12. Pars adversa, praeterea, Defensoris Vinculi Animadversionibus in tertia instantia obiecit:

a) cum duae sententiae actori ius standi in iudicio agnovissent, res iudicata imprimis excipitur.

b) actor apostata considerari nequit, quia non constat eum *omnem* fidem catholicam abiecisse ideoque apostata non est in sensu Codicis, quia: « Ut quis apostata in sensu Codicis hoc loco dici possit, non sufficit ut etiam a multo tempore officia religionis prorsus neglexerit, quo casu, si negligentia publica est, habebitur publicus peccator, sed requiritur ut homo christianus aliquo *actu publico professus sit se non esse amplius catholicum* aut publice et notorie Ecclesiae dogmata impugnaverit » [5]. De praefata notorietate, autem, ex actis non constat.

c) idem dicendum est de adserta notorietate quoad adsertam haeresim.

d) tamen, etiam si actor excommunicatus considerandus esset, hoc obstaculo non esset processui. Excommunicati enim (etiam vitandi) actionem habent (can. 1654 § 1) in causis matrimonialibus, quia agunt ad aliud quodvis animae praeiudicium avertendum. Ad hoc enim scribit cl. Roberti: « Vitandi et tolerati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam agere possunt, si agant... b) ad avertendum quodvis aliud animae praeiudicium (ex. gr. in causa nullitatis matrimonii vel S. Ordinationis, in petitione dispensationis rati, etc.) ut consulant animae suae » [6].

13. Quibus rationibus Defensor Vinculi respondit: a) contra exceptionem rei iudicatae post duplicem sententiam, stat can. 1628

[5] Coronata, De Matrim. p. 351, n. 284.

[6] De Processibus, I, p. 579 b, ed. 1941.

§ 3: « Exceptio excommunicationis opponi potest in quolibet iudicii *statu* et *gradu*, dummodo ante sententiam definitivam ». Nec tamen daretur *res iudicata* post duplicem sententiam, cum Vinculi Defensor in altera instantia exceperit actoris excommunicationem. Ergo haberetur *una* sententia, quae recognoscit actori ius standi in iudicio.

b) ad rationes sub b) et c) allatas: quid magis publicum quam actus actoris qui coram iudice sponte professus est se atheum esse, negavit matrimonii sacramentalitatem et indissolubilitatem? Etsi, ergo, quis negaret illum apostatam esse, est saltem vi can. 1325 § 2 formalis et notorius haereticus, ergo acatholicus in sensu declarationis S. C. S. Officii diei 18, 27 ianuarii 1928.

c) Auctoritas Roberti ad casum faceret si ageretur *tantum* de exceptione excommunicationis; D. V., declaratione et decreto S. Officii fretus, excepit non simplicem excommunicationis obstaculum in actorem sed *directe et immediate* eius apostasiam et haeresim tamquam qui materialismo adhaeret et favet, quibus, consequenter adnectitur etiam poena excommunicationis.

Stat enim dispositio: « Acatholici omnes excluduntur ab agendo in causis matrimonialibus, nisi ad hoc facultatem obtinuerint a S. C. S. Officii. Quae facultas est ad validitatem sententiae »[1].

Aegidius Del Corpo
Def. Vinculi Subst. apud S. R. Rotam.

---

[1] Gasparri, *De matr.* II, 1260, ed. 1932; Cappello, *Summa Iuris Canonici*, III, *De Process.* p. 141-142, ed. 1948; can. 1892, n. 2.

DE PROCESSU CANONICO

SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO

I

Prolegomena iuris de matrimonio rato et non consummato, de natura causarum matrimonalium dispensationis ac de foro competenti iuxta vigentem ecclesiasticam legislationem [1].

SUMMARIUM: Doctrina catholica de matrimonio valido, rato et legitimo ac de christiani coniugii consummatione - De natura ac ratione procedendi in causis dispensationis super matrimonii inconsummatione - De iuridico foro competenti iuxta vigentem ecclesiasticam legislationem et canonicam iurisprudentiam.

I. DOCTRINA CATHOLICA. - In limine tractationis de processu canonico super matrimonio rato et non consummato nonnulla iuris principia, infra fusius ac uberius enucleanda, perutiliter praeponuntur. Nuptias facit sponsorum consensus, qui rite valideque praestitus, secumfert matrimonium, quod legitimum pro non baptizatis, ratum pro baptizatis asseritur. Omne verum matrimonium natum est ut consummari possit et generatim debeat, ac insuper si ratum est ac simul consummatum « nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest » (cfr. can. 1118 C. J. C.). Quae autem indissolubilitas, stricta et absoluta, est essentialis matrimonii proprietas, quae, in christiano foedere, peculiarem obtinet firmitatem ratione Sacramenti (cfr. can. 1013, 2), ad Cuius dignitatem, iuxta positivam Dei voluntatem, Christus Dominus evexit ipsum matrimonialem contractum, qui, inter baptizatos, nequit validus consistere, quin sit eo ipso Sacramentum (cfr. can. 1012, 1 et 2). Cuius indissolubilitatis non minus, atque iuridice sancitum, fundamentum adest in facto habitae consummationis, qua coniuges, plene et plane iam coniuncti, per copularem actum, de se aptum ad prolis generationem, facti sunt una caro. Tunc quos Deus coniuxit, homo, nullus homo, separare audeat! In praesenti, praecisione facta a matrimonialis vinculi dissolutione, vel rescissione, ipso iure peracta per sollemnem professionem religiosam,

(1) Rev.mus D.nus J. Casoria, a Studiis S. C. de Sacramentis, doctrinam et praxim processus canonici super matrimonio rato et non consummato in « Monitor Ecclesiasticus » systematice illustrabit.

quaestio movetur de altera via, sic dicta administrativa, pontificiae gratiae, ex summa clavium potestate defluentis, seu dispensationis a Sede Apostolica ex iusta causa concessae, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita (cfr. can. 1119). Super quibus assertis statim adnotandum quod Apostolica Sedes, seu potius ipse et solus Romanus Pontifex, qualibet parte in causa, non plane inscia, saltem pro viribus, nec rationabiliter, iure meritoque, invita, ut optatam dispensantionis gratiam a matrimoniali vinculo largiri velit ac valeat, necesse est duo Sibi, morali cum certitudine, constare simul: matrimonium revera non fuisse consummatum et iustam exstare causam pro dispensatione concedenda (Cfr. Decretum « Catholica doctrina » S. C. de Sacramentis diei 7 maii 1923). Agitur enim de perfecta vinculi deletione, qua constita quivis alteruter coniux, nisi aliud certo obstet, ad novas nuptias, qualibet cum habili persona, nulla excepta, iure ac de more quit convolare.

Consummatur matrimonium si inter christianos coniuges, valide coniunctos, intercesserit maritale commercium, quo ipsi, saltem una vice, quomodocumque una caro facti fuerint. Requiritur igitur ille actus carnalis, quem coniuges post nuptiarum celebrationem exercere valent, seu illa naturalis et iam perfecta copula, quae oritur et perficitur, saltem per unam et veram, etsi partialem, dummodo ultrahymenealem, membri virilis glandis, vel eiusdem apicis, in mulieris, seu uxoris, vaginam penetrationem cum consequenti veri seminis effusione, seu eiaculatione, vel initiali, intra eamdem. Proinde perspicuum est, excluso semper quolibet contrario dubio positivo ac vere solideque probabili, quod nequit de se intelligi consummatum matrimonium, si nulla adfuerit penetratio; si coitus fuerit certo et tantummodo vulvaris, quin unquam ultragressum fecerit in forum hymenalis membranae; si copula fuerit tantum sodomitica aut forsan onanistica per meram virgae applicationem ad exteriorem partem vulvae, quamvis interea ad os vaginae adfuerit depositio seminis et inde fecundatio quoque subsecuta. At notandum quod etsi nec haberetur consummatio matrimonii, si nempe semen, effusum et depositum, sive naturaliter sive arte, ad os vaginae, ante forum hymenis, variis ex adiunctis et quodam spontaneo motu organorum sexualium mulieris, aliquantisper absorberetur ita ut ad vaginam ascenderet et ad uterum ipsum aliquando pervenire quiret, certo certius minime expediret, gravissima quoque et iusta exstante causa, pontificia concessio gratiae dispensationis in casu, praesertim ob nativum ac legitimum dubium, difficillime removendum, de consummatione, in foro externo, ob materiam favorabilem attingentem ipsum ius divinum, iam iuridice peracta. Quod magis valet, nullo contra factum argumento contrario, si proles nata, vel saltem concepta fuerit, quia tunc locus

serio maneret continuae dubitationi et in dubio standum est pro matrimonii consummatione; quae semper et merito praesumitur, si coniuges, celebrato matrimonio simul, maxime per tentatam copulam, cohabitaverint (cfr. can. 1015, 2). Ad quam profecto amovendam praesumptionem non sufficit coniectura vel probabilitas, sed plenissima requiritur probatio veritatis, singulis in casibus, prorsus firmata in iure et in facto evidentibus argumentis.

II. De natura ac ratione processus canonici.

a) *Natura iuridica processus super rato.* Processus canonicus in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato dici solet administrativus, quia « huiusmodi causae, utpote quae non promoventur ab actione iudiciali contentiosa aut criminali, sed ex benigna concessione Sanctae Sedis annuentis utriusque vel alterutrius coniugis oratoris precibus, non sunt vere iudiciales, sed magis gratiosae, seu administrativae » (cfr. citatum Decretum S. C. de Sacramentis « Catholica doctrina »). At dispensatio, quamvis gratia vocetur et sit, concedi nequit, nisi prius remotum sit omne dubium saltem circa factum potissimum adsertae, seu praetensae inconsummationis matrimonii. Probe quidem conficiendus est processus iuxta normas iuris et secundum regulas servandas Romanae Curiae ad plenam rerum cognitionem assequendam. In hisce enim causis, omnibus mediis adhibitis, quae apta retinentur ad certam ingerendam persuasionem de non habita consummatione, rei veritas semper inquirenda est non minus religiose ac sedulo, quam in aliis negotiis proprie iudicialibus.

Est autem animadvertendum quod in processu canonico super rato officiales vel Curiarum dioecesanarum administri, deputati a iure vel ex delegatione speciali, procedere debent simpliciter et de plano ac sine strepitu iudicii et figura; atque, sola rerum veritate inspecta, suum votum, solidis argumentis fulcitum sive in iure sive praesertim in facto, absque sollemnitatibus, tuta mente promere valent. Qui peculiaris processus, de quo fit sermo, aliquando dictus est quoque summarius, etsi impropria omnino ratione, respectu processus ordinarii iudicialis et sollemnis atque, etsi idem processus semper exoptet ac extra dubium positam enixe poposcat integram disceptationem rei in controversiam deductae, obtentis exquisitis facultatibus, ordinario instruitur per organa administrativa iuxta mandatum delegationis ex officio praestitae et obtentae.

Merito autem includitur inter processus speciales iuris canonici et continuo servat suam naturam procedurae mere administrativae, etsi aliqualem, saltem quoad formam, speciem veri iudicii involvere videatur. In praxi intelligendus est uti quaedam celerior agendi ratio ad ordinem stricte iudiciarium evitandum, qui gene-

ratim, ob suam connaturalem diuturnitatem supremo bono salutis animarum saepe saepius obstare dicatur. Processus canonicus super rato, diverso sensu, vocari solet et potest: iudicium, processus et procedura. *Iudicium,* quia est quaedam series actorum fere iudicialium, quibus cognitio et definitio propositi dubii plane absolvitur. *Processus,* quia est complexus actuum a ministro delegato emissorum et ad iuris actuationem ordinatorum. *Procedura,* quia est quaedam externa processus evolutio, servatis de iure servandis, ad tutandam existentiam Sacramenti et ad dirimendam quaestionem, praesertim in facto, super adserta matrimonii inconsummatione.

Causae insuper dispensationis super matrimonio rato et non consummato solent assimilari actibus administrativis, quamvis in ipsis resolvendis adhibeantur formae processuales, quia de se naturam gratiosam, seu administrativam, ex toto vel ex parte praebent atque agitari possunt in volentes et in nolentes; quinimmo earundem definitio et resolutio, virtutibus quidem prudentiae, iustitiae et veritatis in pace compositis, imponi possunt, quibuslibet non obstantibus, omnibus et singulis fidelibus Ecclesiae subditis, seu volentibus seu nolentibus.

b) *Ratio, seu methodus procedendi in causis inconsummationis.*

In conficiendis actis processus inconsummationis ratio, seu methodus, est vere simplex, etsi accurata, atque unice ordinata ad rei veritatem plane attingendam.

Adserta inconsummatio, iuxta n. 20 Regularum Servandarum S. C. de disciplina Sacramentorum, praecipue probari valet per argumenta, quae sequuntur; et sunt: « a) utriusque coniugis iurata confessio; b) testes septimae manus ex utroque latere, necnon testes ex officio inducti, vel etiam ad instantiam partium, prouti res ferat; c) inspectio corporum per peritos facta; d) authentica documenta etiam extraiudicialia, cuiuscumque generis, veluti litterae, itemque acta iudicialia in foro civili confecta, quatenus ad rem faciant; e) indicia et praesumptiones ». En igitur summaria ratio procedendi in huiusmodi causis, seu practica methodus iudicialis inquisitionis circa omnia quae inconsummationem probant, vel impugnant, et circa causas legitimas dispensationis.

Admisso quidem supplici alterutrius vel utriusque coniugis libello, qui, uti par est, veritate nitatur, atque habita facultate Sanctae Sedis, peculiari interea constituto delegato tribunali, causa de qua agitur, ope iudicis et deputatorum ministrorum, citationibus de more peractis ac, iuxta interrogationes opportune concinnatas, rite auditis sub iureiurando partibus, testibus et peritis matronave, probe absolvitur; et ita iam instructa haberi potest ut clauda-

tur; et adaucta, si adsint, iuxta varia adiuncta, omnibus documentis ad rem facientibus, ad Urbem una cum animadversionibus defensoris vinculi et voto Episcopi seu illius Ordinarii, qui, actu tenet supremum regimen dioecesis, aut fidelium in loco, ad tramitem litterarum pro officii capessenda possessione, transmittatur omni cura et diligentia, adhibitis opportunis cautionibus pro expeditione.

III. De foro competenti.

Iuxta dogmaticam doctrinam atque iuridicam Ecclesiae legislationem causae matrimoniales inter baptizatos, vel si una tantum pars sit baptizata, iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant (cfr. can. 1960); at Uni tantum Romano Pontifici divinitus et personaliter commissa est illa peculiaris, ministerialis et vicaria potestas concedendi dispensationis gratiam, dummodo rei veritas in propatulo sit, seu in casu moraliter constet matrimonium, certo ratum, revera numquam fuisse consummatum simulque iustam exstare causam.

Ad quam agitatam et adsertam matrimonii inconsummationem comprobandam et ad quam existentiam legitimae et gravis causae pro dispensando indagandam, Sancta Sedes uti solet, quin debeat, inferioribus suis organis administrativis, seu generatim committit ipsis Episcopis vel locorum Ordinariis instructionem processus, ut veritas factorum planius elucescat.

Causae dispensationis super rato matrimonio et non consummato exclusive cognoscuntur ab illa S. Congregatione, vel ab illo Tribunali, vel aliquando ab illa Commissione, cui a iure vel etiam ex voluntaria et peculiari Summi Pontificis delegatione, toties quoties facta et tributa, commissae singillatim veniunt, praesertim si Ipse Summus Pontifex, ob specialia adiuncta, nonnullas ex hisce matrimonialibus causis ad suum advocaverit iudicium (cfr. can. 1926 et can. 1557, 3).

Patet quod Sanctae Ecclesiae fideles suo reguntur iure latinorum vel orientalium secundum quod sint latinae vel orientalis ecclesiae, seu iurisdictionis alterutrius ecclesiae subditi. Vigens disciplina, quae profluit ex Codice iuris canonici, unam respicit Latinam Ecclesiam, quae quidem, sive per S. C. S. Officii, sive per S. C. de Sacramentis aut per apostolicum Tribunal S. R. Rotae ex mandato pontificio, vel ex particulari benigna concessione Romani Pontificis, modo ferme iudiciali videt ut consilium Sanctissimo praestandum sibi satis efformet super discutiendis processibus dispensationis ob factum inconsummationis. Merito autem can. 1963, 1 addit: « Quare nullus iudex inferior potest processum in causis

dispensationis super rato instruere, nisi Sedes Apostolica facultatem eidem fecerit ».

Vix meminisse oportebit quod aliae matrimoniales causae, in quibus, attenta petitione et perpensis assertis, vel adiunctis ad facultatem processus instruendi ordinatis super matrimonio rato et non consummato, agendum sit potius, etsi non semper evidentibus datis rationibus, de sola obtinenda declaratione nullitatis coniugii, debent tractari ordine iudiciario servato et tantummodo conditionate possunt remitti ad Sanctam Sedem. Quod bene et magis intelligitur, quia si de matrimonii nullitate, iam a petitione, aperte et statim constaret, inutiliter prorsus conficeretur processus de inconsummatione, cum vinculum, quod dispensandum esset, ex nullo consensu ac proinde ex invalido matrimonio nullatenus exurgere quiret. Tunc partes, si velint, possunt ac debent adire unam viam iudiciariam usque ad definitivam sententiam competentis tribunalis ecclesiastici, prae oculis habito, si casus ferat, art. 206 Instruct. S. C. de Sacramentis diei 15 augusti 1936. Insuper scire iuvat quod ad S. C. competentem vel ad peculiarem pontificiam Commissionem remitti solent quaestiones quoque connexae cum gratia forte concessae vel concessurae dispensationis circa varios effectus, maxime nummarios, optatae solutionis vinculi matrimonialis.

Relate ad S. C. pro Ecclesia Orientali pro decidendis huiusmodi causis dispensationis, valent generatim, et plene, omnes normae a S. C. de Sacramentis editae, etsi occasione capta codificationis iuris Orientalium, novae interim regulae prodierunt ad ipsius Ecclesiae Orientalis necessitates quam maxime aptatae et adamussim servandae. Nulla tamen adest substantialis differentia quoad processus instructionem et causarum decisionem inter iurisprudentiam et legislationem utriusque relatae Congregationis.

Concludendo tamen necessarium, vel saltem peropportunum, ducitur animadvertere et recolere circa peculiarem competentiam S. Officii, quod Ipsum, etiam pro causis matrimonialibus cuiuscumque generis et naturae, sive agat uti Tribunal, sive tamquam Sacra Congregatio, « suo more institutoque procedit sibique propriam consuetudinem retinet; et etiam inferiora tribunalia, vel Curiae aut quilibet administri delegati, in causis, quae ad S. Officium spectant, vel reservantur ex peculiari apostolica dispositione, normas ab eodem traditas, singulis vicibus, sequantur oportet » (cfr. can. 1555, I).

Josephus Casoria
a studiis S. C. de Sacramentis.

DE «SANCTITATE» QUAE PRO BEATIFICATIONE ET CANONIZATIONE SERVORUM DEI REQUIRITUR PROBANDA.

SUMMARIUM: 1. Momentum rei. - 2. Natura theologica sanctitatis. - 3. Quaenam Sanctitas in genere exigitur pro beatificatione et canonizatione. - 4. Quomodo sanctitas in genere specificetur. - 5. Quibusdam criteriis in subiecto canonizando praedefinienda sit. - 6. Conclusio.

1. MOMENTUM REI.

Mirum est qua attenta sollicitudine hodierni iuris cultores negotium beatificationis et canonizationis intime perscrutari satagant et intelligere, nedum extrinsecam eius procedendi rationem demirantes sed actionem quoque considerantes in suo obiecto, sane sui generis, quod iuridice definiendum prosequitur.

Re quidem vera recte intelligi non posse autumamus processum ne in sua ipsa formali natura quin substantialis eiusdem essentia praecognita fuerit qua ipse undique informatur et regitur; idque coniciendo sive ex cuiusque actionis natura quae non intelligitur nisi ad ius relata a quo specificatur sive ex eo quod inquisitionis media poni praesertim in casu apta nequeant quin specifica veritas probanda prae oculis habeatur; quinimmo ne intelligi quidem potest disceptatio quae fere tota in rerum substantiam vertit, quin doctrina aeque ac iuris prudentia de singulis capitibus praedefinitae habeantur.

Sed S. R. C. doctrina eiusque saecularis jurisprudentia ab iis etiam aliquando negligi videtur quos dedecet eam ignorare; quapropter laeto excipimus animo quae de momentoso argumento civilistae quoque ac canonistae, his saltem novissimis temporibus, in periodicis ephemeridibus ac in tractatibus in thesibus immo ad lauream ipsi tirones edere coeperunt quaeque, etsi aliquando imperfecta vel incerta videntur, tamen utillima existimamus pro canonistica scientia ac pro ipsa iurisprudentiae et praxis evolutione.

Utilitati modo administrorum tribunalium ecclesiasticorum necnon postulatorum prospicere cupientes, pro viribus hoc in periodico libello breves paravimus publicandas adnotationes, ex quibus sive rerum substantia sive processuales normae in causis beatificationis et canonizationis servandae clare ipsis innotescant ex genuina notione iuris; imprimis de sanctitate quae pro canonizatione requiritur probanda, prout de primordiali aeque ac fundamentali argumento, breviter disserendo casu martyrum pro nunc remisso.

Fundamentali inquam sive pro actione in seipsa sive pro effectu eius supremo qui in canonizatione reponitur. Actio quae humana regitur iurisprudentia licet revelatis principiis imbuta, praecipue enim eo tendit ut heroicitas virtutum omnimoda certitudine probetur; et tunc tantum, ad confirmativum argumentum obtinendum, in miracula inquiri permittit quum de virtutibus heroicis iam acquisita sit probatio. Canonizationis praeterea institutum ex eo praecipue cohonestatur quod publicae universali venerationi, suprema et auctoritativa sententia, proponatur virtutum heros qui, accedente etiam miraculorum suffragio, gloriae et patrocinii titulum in caelesti patria probatur adeptus ideoque invocationi christifidelium iure intercessor etiam offertur. Sive ergo processus sive glorificationis subsequentis eminens ratio in sanctitate invenitur.

Sed vulgaris sanctorum gloria saepe saepius artificiosa, ac proinde falsa, cohonestatur ratione, aut simplici miraculorum rumore fere exclusive fulcitur; quinimmo generica prorsus ac proinde invalida iurisprudentia supponitur aliquando probata.

Ne iisdem offendant erroribus benevoli indulgeant lectores ut nonnullis animadversionibus theologicum imprimis exploremus conceptum sanctitudinis, nam species iuridica necessario ratione theologica fundatur eamque exprimit; deinde conceptu juridico exposito, specificationis rationes illustremus quibus in subiectis canonizandis intimius sanctitas ipsa dispescitur; demum criteriologiam iuridicam ex doctrina et iurisprudentia S. R. C. eisdem explanemus, quo fit ut gradatim obtineant totius rei notitiam quae non inutilis forte videbitur.

2. *De natura theologica sanctitatis christianae.*

a) *Praemittenda.*

Idea excellentioris virtutis quae quorumdam humanorum vitam superioris pretii aestimare ipsos coegit aliquando paganos, nonnisi umbratilem praesefert speciem illius verae perfectionis moralis ac supernaturalis quae ex Evangelio prodiit quamque decursu saeculorum theologica ratio critice expolivit, Sancti vero sua sublimi vivendi ratione in rem plene deduxerunt.

Virtus enimvero moralis, licet per graecos aliquando explorata in sua philosophica natura, numquam ante Christum natum adaequatam sui rationem adepta conspicitur, practice vero fere numquam in sua genuinitate vel integritate viguit.

Meris cum fundaretur figmentis philosophicis, iisque praejudiciis mithologicis obscuratis, aequivocis et fere semper aprioristicis rationibus fulcitur. Sinensium mythologia perfectionem extruere contendit ex caelesti quodam influxu qui instinctu manifestatur

ad indefinitam virtutem impellenti. Buddistae vero somniant « sanctitatem » quae ad deorum oppositionem coniicitur, quaeque negatione absoluta exprimitur cuiuscumque humanae immo et vitalis activitatis, quare nedum ratio meriti negligitur sed eadem radicitus supprimitur, et ignobile otium ac imbecillitas innaturalis pro illis perfectionem constituunt.

Quodsi in mahometanorum religione ex quadam rituali observantia aut ex peculiari temperantia dein extruatur, non sola ratio virtutis videtur in ea neglecta sed meriti conceptum naturali et materiali immo utilitarismo corruptum ostenditur, extrinsece licet, at impie, cum Deo referatur quasi Deus ipse tali obsequio honorari statuerit.

Altiori quidem ratione virtus, quae sanctitas nuncupari possit, in platonica philosophia illustratur, adeo ut nonnullis Ecclesiae Patribus ex parte saltem placere potuerit. Sed posita perfectione in contemplatione quadam « idearum » necnon in terrenarum rerum sensibilium contemptu, quare dici potuit: ideo placere deis quia sanctitas et non e converso; non illico virtutis traditur recta cognitio. Ex una parte enim fere ignoratur quidnam revera ipsa sit et cur virtus, ex alia irrationabiliter prorsus hominis natura spernitur quae tota cadit sub influxu animae rationalis ac proinde virtutis moralis, postposito aprioristico contemptu rerum sensibilium qua talium.

Brevissime delibatis paganorum ideis de sanctitate, notatu dignum dicimus quod fere omnes, si excipimus scholam buddistarum, perfectionem humanam, positive cum divinis rebus referunt. Sed huiusmodi « divinitas » aut instinctu agit ac proinde physice fere coercet voluntatem; aut cohonestare videtur non virtutem rationalem sed merum utilitarismum materialem; aut denique ad contemplationem rerum spiritualium movet vel invitat, deum integralis moralitatis penitus obliviscitur, contenta quadam abstractione.

Notio et praxis paganae scatent igitur defectu superioris synthesis rationalis: quare obligationis nequeunt offerre rationem quia apodicticum coactivitatis fundamentum fere ignorant, aut obnubilosa ex mythologia nesciunt eam statuere vel sentire, supremo Ordinatore eoque Judice penitus neglecto; inadequatam proinde coguntur sequi causalitatem quae necessario aprioristica cavillatione, etiam conceptualiter, gravatur.

Initialem directamque verae sanctitatis praefigurationem libenter concedimus Veteri Testamento; quandoquidem perfectio spiritualis licet ex Deo derivetur tanquam e fonte supernaturali exemplari et efficienti, non simplici formali observantia costringitur sed veri nominis moralis fit ideoque meritoria ex mandatorum oboedientia quae liberam integramque implicat hominis assequutio-

nem, fide redemptionis recreati. Hinc legi potest: « sancti estote quia Ego sanctus sum » Praefiguratio tamen fuit. Oportebat tandem adoptionem filiorum, ex gratia redemptiva Christi Domini, nos accipere et comprehendere Eiusque suprema caritatis lege et exemplo perfundi et augeri, ut virtutem moralem fastigium pertingere videremus quae rationalem et supernaturalem simul indueret perfectionem: nedum theoreticam qualis in tractatibus resplendet, sed practicam omnino qualem in sanctis demiramur quaeque obiectum constituit plane singulare humanae iurisdictionis iudiciariae de qua inquirimus.

b) *Quid ergo est sanctitas stricto sensu theologico?*

Sanctitas necessario fulget in operibus prout vita arboris in fructibus; iisdem tamen exprimitur non tota comprehenditur. Ipsa praeprimis est interior, spiritualis ac supernaturalis vita quae in conscientia seu anima redempta a Deo, per vitale gratiae principium, infunditur et alitur; ab homine autem libera voluntate fovetur facultatibus seu naturalibus seu supernaturalibus omnibus impensis ad oboedientiam.

Deus operatur simul ac homo operatur. Deus fidei luce collustrat et sustinet mentem quae simplici tenacique conatu veritatem investigat, arripit pro viribus contemplatur ac tenet. Deus robore gratiae suae voluntatem humanam quin opprimat praevenit firmatque, suaviter eam ad bonum supernaturale alliciendo ut perseveret adauget: simul ac voluntas ipsa libere fidei virtutisque mandatis obtemperare omnibus contendit, vires seu corporis seu animi prudenter ad oboedientiam disponens. Hinc fit ut voluntatis arbitrium — dicam cum Augustino (ep. 157, c. 2, 10) — gratia non tollit quia iuvatur sed ideo iuvatur quia non tollitur.

Quum autem finis gratiae divinae ontologicus totiusque humanae operationis in ordine spirituali ac morali, sit caritas cum Deo fovenda atque statuenda, sequitur quod ex caritate illa tota pendeat virtus et perfectio animae redemptae. Ipsa enim hominem transfigurat divinam quam a Christo recuperavit adoptionem ad actum deducendo ac perficiendo. Sequitur immo quod ex habituali gradu caritatis in Deum totius perfectionis desumi debeat mensura.

Porro, quum caritas ista substantialiter servatur reliqua perfectio gradum communem seu uti aiunt ordinarium haud exsuperat; sed ubi ea limites longe praetergreditur substantialis ordinationis, iam excellens in se ipsa ostenditur at necessario heroica fit in suis effectibus in toto ordine supernaturali et morali.

Accedentibus itaque supernis Dei donis quae virtutes omnes seu theologales seu uti vocant cardinales eisque adnexas practice corroborant; fides ipsa quam excellentem iam heroica supponit

caritas, vividior fit firmiorque; spes pariter amore Dei intimius alitur tenacius firmatur; prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia, excellentissimo illo informatae principio, radicitus in exercitio excellentiores consistunt. Uno verbo: caritas affective heroica in radice idque a priori secumfert similem effectivam caritatem.

Principio causalitatis, ex alia parte, innixi dicimus cum Evangelio: ex fructibus eorum cognoscetis eos, aut arbor bona bonos fructus facit; quid inde? Profecto optima evincitur illa methodologia quae docet ex heroicitate virtutum argui debere heroicitatem caritatis informantis. Quo altior ergo depromitur moralis virtus in sua universitate considerata, eo profundior coniicienda est caritas; si vero virtus moralis vere heroica probatur, caritas ipsa ideoque sanctitas ipso facto excellens demonstratur.

Et talis est methodus, prout videbimus infra, quam Sacra Rituum Congregatio sequitur in definiendo gradu sanctitatis canonizandae. Sed, interim, priusquam de concreta heroicitatis natura verbum faciamus, liceat animadvertere qua sublimi efficientique ratione et causalitate perfectio extruatur christiana. Non ex caeco instinctu producitur seu esthatico seu utilitario; haud mero psichico intellectualismo modernistarum intelligi potest; non ex exteriori pietatis in Deum aut austeritatis ostensione coniicitur unice. Tota, ex adverso, sublimi luce caritatis, fide et ratione collustrata, deprehenditur perfusa genita. Quae caritas Deum amplissima prosequens in se ac in suis mandatis integralem commonstrat virtutis rationem simul ac divinam gratiam pro merito extollit. Sancti ergo qui canonizantur non unam praedestinationem celebrant sed humanam etiam cooperationem eamque summam confirmant qua fit ut absque dubitatione omnibus proponi possint imitationi iureque tanquam patroni offerri.

3. *Quaenam sanctitas in genere exigitur pro Beatificatione et Canonizatione.*

Respondemus: requiritur sanctitas heroica. Sed quandonam sanctitas ipsa dicitur heroica ac proinde canonizatione digna? quandonam heroicae dici possint virtutes ex quibus illa argui possit?

a) Notum est imprimis quod non qualiscunque spiritualis excellentia sufficit ad honores beatificationis et canonizationis obtinendos; sed requiritur talis sanctitas quae integralis dici possit in casu eaque longe praetergrediens limites exemplaris quoque honestatis; quae excellentia dicitur heroicitas.

Integralis eo sensu saltem esse debet quod nulla virtus practice requisita neglecta fuerit positive aut violata; si positive neglecta iam obstaculum constitueret non argumentum heroicitatis, nam violatio aut positivus neglectus iam supponunt ne substantialem

quidem adfuisse observantiam. Quodsi vitae adiuncta non eandem prorsus permittant semper formam vel mensuram, id non necessario obest heroicitati relative sumptae, prout videbimus.

Cum integritate oportet adsit praeterea praeclarissima *habitualis excellentia* in exercitio virtutum. Porro talis excellentia non novam arguit speciem sanctitatis sed novum gradum ex modo quo eadem expenditur. Et modus, excellens honestorum communium observantiam, coniicitur imprimis ex *invicta constantia* quae, cum res ardua sit humanae naturae, arctiorem in operante virtutem expostulat, profundiorem voluntatis dispositionem qua continuo, in omnibus adiunctis, cotidiana defatigatione numquam depressa, mandatis obtemperatur divinis humanisque etsi minoris momenti. Quin vitae fluctibus voluntas demergatur aut defatigetur, invicta, veluti turris, super petram mandatorum Dei, sublimis consistit.

Modus pariter excellens deprehenditur in *promptitudine, facilitate,* in *gaudio* immo quibus humana voluntas, Dei gratia adiuta, oboedientiam praeceptis praestat etiam in adiunctis difficillimis vitae: non enim humanorum est etsi honestorum talem offerre promptitudinem dum pigra et tarda ostenditur cuiusque natura in sensibilibus veluti subversa, rebus visibilibus attracta. Ubi dein graviores obveniant difficultates quae acriorem imponant privationem aut defatigationem, gaudiosa non est communis oboedientia sed ne prompta quidem, praesertim si adiuncta difficillima diu perseverent.

Denique supereminens gradus virtutis arguitur *ex abundantia fructuum,* quatenus modum praetergrediuntur seu mensuram communium segetum: heroica sanctitas tunc non contenta communes satisfactiones proferre, ampliores, vividiores, intensiores effectus prosequitur et studiose producit. Quod stricte non debetur offert, quod largitatem sapit cum gaudio addit. Hinc iustus quilibet est si quod alii debetur restituit; qui autem aequitatem ad unguem etiam diligit operibusque habitualiter eam ostendit, non simpliciter iustus dicitur; pariter ac ille qui iniuriam, licet absque dolo illatam multiplici diuturnissima satisfactione exstinguere satagit.

b) Liceat modo quam brevissime singulas virtutes sub aspectu heroicitatis exemplis illustrare.

Heroica habebitur fides quum revelatae veritates simplici invictaque certitudine acceptantur, obscuriora fidei mysteria etsi in extrinsecis contradictionibus humanorum seu intellectualibus seu moralibus gaudiose creduntur, interiori affectu foventur, ex eisdem immo actuosissima extruitur alacritas in fidem ipsam defendendam propagandam ostendendam, frequentissima praesertim oratione, studiosissima pietatis observantia, cum implicito saltem pro-

posito seu voluntate etiam vitam impendendi pro illa, si opus sit. De cetero fides ex operibus arguenda est totius vitae spiritualis.

Heroica spes ex fide definitur, nam « quantum quisquis credit tantum sperat » — scribit Bernardus (De Dom. Pass. c. 3). — Excellentissima elucet praesertim in terrenarum rerum despectu atque in intenso studio caelestium, quare Deus unicum habetur auxilium illudque certissimum in omnibus adiunctis etsi gravissimis et infensissimis. Quae certitudo dum frangit duritiem dolorum, aversationum, insectationum, calumniarum, infirmitatum omnigenarum quae contingere poterunt, adeo tranquillitatem animi sustinet ut immo recreet ad gaudium, ad ardua pro fide tentanda, audaciam extollat quin praesumptionem imprudentem generet.

In Deum caritas ostenditur heroica ex assidua conversatione seu meditatione cum Ipso tanquam cum Supremo Bono supernaturali affectu prosequuto; cuius praesentia industriose menti fovetur ex qua gaudium cordi alacritate intensa voluntati producitur. Hinc fit ut pientissimis exercitationibus religionis ostendatur, diuturna ac fere continua mentis in Deum elevatione, precibus ferventissimis quaque occasione foveatur. Heroica caritas ad durissimos labores impellit pro Deo eiusque Ecclesia, studium impensissimum suscitat erga peccatores lucrifaciendos, peccatum horrendum quacumque sub specie docet esse delendum, virtutem vero ac fidem omnimoda fortitudine ex amore Dei prosequendas. Sequitur quod sacramenta, praesertim Eucharisticum Mysterium, summa veneratione habeantur, eximio cultu Deipara colatur, zelum ardens totam vitam informet et actionem.

De caritate in proximum heroica plurima argumenta afferri possunt. Imprimis talis ostenditur ex acerrima diligentia in bonum proximo procurandum eiusque nomen seu famam cogitatione verbo et opere omnino honorandum, postposita quacumque humana cavillatione. Dein heroica commonstratur caritas quando spirituale et materiale indigentibus praestatur auxilium cum gravi quoque privatione propria aut defatigatione, idque diuturne et ex animo hilari et supernaturali; quando infirmis solamen, ignorantibus lux, inimicis venia, errantibus pax offertur summa cum promptitudine et mensura pluribus in adiunctis sc. « idque non semel aut bis — scribit Benedictus XIV (II, 23, 24), — sed frequenter cum sui neglectu et ex fine supernaturali prorsus.

Heroica prudentia ostenditur si asperiorum consiliorum viam quis semper sequitur abnegando semetipsum et paupertatem externam etiam colendo. Praeterea, si in operando aut ceteris praestando consilio modum et opportunitatem illa suggerit quibus implicatis-

simis etiam obvenitur difficultatibus pede inoffenso, idque semper ex fine supernaturali et cum omnimoda simplicitate cordis, servatis immo cautionibus omnibus quae adiuncta exposcunt, sive personalia sive realia. Fulget in administrandis materialibus bonis et regendis subditis, in bonis spiritualibus augendis pariter ac in malis vitandis industriosissima praevidentia, ordine finium et sanctitate mediorum semper servatis.

Iustitia quae unicuique suum tribuit communis est virtus, quando autem ultra debitum ex aequitate ex caritate etc. offert excellens fit. Hinc iniurias sine dolo productas amplissima mensura reparare cogit, recepta beneficia rependere amplissima et diuturna grati animi ostensione, humanas conventiones ex animo servare legesque ad unguem honorare, de suo remittere potius quam aliorum iura etsi deminuta negligentur quomodo. Excellens in homines ac etiam in Deum, nam religio ex iustitia oritur quae proinde altior ostenditur si cultus Deo debitus diligentissime praestatur.

Facile deinde intelligitur *fortitudo heroica* si ex adversis rebus tranquillo semper et patienti animo latis argui potest. Quinimmo quo acriora sunt adiuncta fortiter passa, quo diuturniores afflictiones egestates insectationes aegritudines, eo excellentior apparet animi firmitas et tranquillitas ideoque virtus fortitudinis, quae, ut patet, ex fide non ex humana ratione aut frigiditate exurgat. Hinc imperturbabilitas sanctorum longe distat a fortitudine stoicorum nedum ex fine verum etiam ex modo et mediis.

Remanet *temperantia* quae in se ipsa ac in suis operibus excellens censetur quando vitiis et deordinatis passionibus non communia media opponere suadet, sed acerrimas poenitentias, diuturnas privationes quibus corpus in servitutem tandem reducere contendit, adeo ut dominium absolutum tandem fere obtineatur et imaginem Crucifixi Domini in corpore ex intentu morali ac supernaturali, producatur. Sed temperantia heroica elucet etiam in castitate, in paupertate, in humilitate praeclare et diuturne servatis etsi indolis aut vitae adiuncta difficillimas eas faceant.

Splendens revera fit ergo humana dignitas exercitio heroicarum virtutum. Sed numquid eadem sanctitas in omnibus? numquid eadem species et mensura? Perfectio Christi infinite imitabilis non eadem luce, sane, resplendet in sanctis. Gradu et forma ipsi differunt, omnes suo modo, scilicet ex receptivitate subiectorum, pleni; tamen non omnes eadem mensura pleni. Hinc fit ut ex modo praenotatis definitam sanctitatis canonizandae habere adhuc non possimus nisi in concreto rem ulterius ex iurisprudentia expendamus.

4. *Quomodo in beatificandis et canonizandis sanctitas specificetur.*

Tractatus revera desunt ex quibus claram et systematicam expositionem principiorum depromere de re possimus, neque usquemodo datum est implexissimae S. R. C. iurisprudentiae, scientifica ratione ordinatae, definita specimina habere; quadam tamen cum diligentia ex processibus pluribus certam doctrinam de re depromptam iam alibi exposuimus [1] quam modo brevissime per summa capita delibare liceat.

a) Gratia imprimis naturam haud coërcit aut destruit eamque potius, suaviter, elevat atque roborat vias eius eiusque *vocationes* sapienter persequens. Aliunde, homo in abstracto non vivit, inclinationes naturae, certas vires, certum ingenium sequi debet, speciales forte Dei vocationes; quibus omnibus fit ut quisquis iuxta suum statum seu condicionem perfectionem evangelicam attingere debeat servatis legibus generalibus et suo statui propriis.

Prima ergo discriminatio sanctitatis in concreto oritur ex vocatione; idque non solum quoad virtutes particulares quas exigit singulorum condicio, sed etiam quoad ipsam specificationem ceterarum virtutum quae ex eadem peculiarem induunt formam et mensuram ex eadem proinde gradus heroicitatis diiudicandus est. Intelligitur itaque cur alia sit sanctitas patrisfamilias, alia sanctitas virginis claustro obstrictae, alia heroica e. g. paupertas in rege, alia in operario quodam, cur alia sit forma caritatis in divite alia in religioso paupertatis lege adstricto; cur alia immo excellentia humilis hortulani alia insignis magistri.

b) Sed intimius cum interiori vita subiecti connectitur eius *indoles* seu v. character qui, proinde, necessario influit in definiendam virtutem. Plures sancti eandem vocationem sortiti sunt quin eandem obtinuerint perfectionem: evidenter Dei gratia subiecti indolem sapienter tulit atque ex differenti huius condicione divinus sol diversam segetem obtinere valuit.

Indoles ex pluribus constituitur elementis spiritualibus et physicis, nativitate ipsa aut ex adiunctis vitae acquisitis, quae certam individuationem signant ex praevalenti subiecti inclinatione. Hinc virtus quaedam, praevalens sive simpliciter sive quia contra praevalens vitium excitata, speciem distinctam praestat sanctitati; adeo distinctam ut, supposita heroica caritate, ceteras informet virtutes earumque exercitium moderetur modo omnino peculiari.

Quando ex praevalenti vitio devicto virtus opposita princeps fit aut etiam quum naturaliter excellens exstat inter ceteras, tunc

---

[1] « Il Processo Apostolico di Beatificazione », Roma 1945, pp. 243-246.

sancti fiunt qui heroes humilitatis, puritatis, patientiae, caritatis, fortitudinis dici possunt et dicuntur; sancti fiunt qui ex pluribus talentis habitis mirabilia agunt quibus persona ipsorum augetur diversimode ac persona illius qui mediocre ingenium aut parvas vires in promptu habet. Indoles immo heroicitatem virtutum intimius, diximus, explicat quam ipsa vocatio, idque sive positive sive negative. Ardens enim indoles mansueta difficilius fit, mansueta autem haud facile fortitudinem heroicam attingit. Hilaris caracter censuram quandam effugit quae timoratum attingeret.

c) Divina tamen Providentia iuxta temporum necessitates suos sanctos dicitur, iure quidem, excitare ut urgentioribus calamitatibus consulat, insignes extrinseca virtutis magistros pro opportunitate mira sua omnipotentia cohonestando; *adiuncta* proinde quam maxime attendenda sunt quibus subiecti vita costringitur, ut ex illis etiam discriminationis viam inveniamus.

Disparatissima cum esse possint sive indolem sive vocationem operantis adeo inflectere valent quoad exercitium virtutum, ut speciem sanctitatis omnino peculiarem inducant quae illis cessantibus probabiliter non haberetur. Id intelligitur praesertim ex hoc quod prudentia quae iuxta divum Thomam omnes virtutes nata est informare atque docere necessitatibus realibus aptatur et ex eisdem practicam depromit regulam quam ceteris imponit virtutibus. Sancti proinde subeunt necessario circumstantias, materialiter saltem, et in illis et ex illis fiunt heroes virtutis non simpliciter ex nutu.

Hinc fit ut languentes e. g. mores puellarum in quadam urbe invictam suscitent institutricem et magistram quae necessitatibus pulsa congregationem instituat religiosarum quibus prudentissima et sollertissima fiat moderatrix et exemplum, adipiscens heroicam virtutem ex definito exercitio illiusmodi officii. Fit etiam ut alibi ex irruentibus haeresibus quidam sacerdos fiat insignis doctor qui doctrina et virtute sanctus ostenditur; alius ex insectationibus adversus religionem invictus pastor; alius ex operariorum angustiis heroicus benefactor alia denique tanquam lilium exsuperet ludibria circumvenientia.

d) Ne obliviscamur denique diversa mensura Deum ipsum sua dona distribuere prout arcano suo consilio decrevit, quare altitudo et profunditas, splendor et magnitudo, species et individuatio sanctitatis *ex praeternaturalibus donis* aliquando definiuntur, licet salva semper sit heroica subiecti cooperatio, directe, dixerim, Deus ipse sanctos suos qualificat. Hinc Franciscus Assisiensis et Catharina Senensis pariter ac Gemma Galgani et Ioannes Vianney sua luce perfunduntur quae in aliis sanctis desideratur.

At effusa interim varietas exemplum unicum exprimit semper, uti supra innuimus, ad unitatem proinde reduci videmus si consideramus substantialem heroicitatem ab omnibus subiective adipisci quatenus plenitudinem relativam implicat, qua fit ut omnes sint perfecti ,non omnes tamen pari mensura et eadem luce; perfecti scilicet ad modum recipientis et ex mensura gratiae divinae quae facit ut stella a stella differat quin splendoris stellae minuatur.

5. *Criteria quibus « sanctitas » praedefiniri debeat in subiecto canonizando.*

Specificationis rationibus modo breviter illustratis in genere, opus est ut de criteriis particularibus ulterius loquamur quae in Sacra Rituum Congregatione vigent ad definiendam in subiecto sanctitatem quae pro decernenda beatificatione et canonizatione doctrina et iurisprudentia omnino praescribunt.

a) Ecclesia imprimis, ut admonet Benedictus XIV, *stabilem diuturnamque* requirit in subiecto heroicitatem, non simplicem utcumque temporaneam etsi perfectam sanctitatem. Ratio est quia canonizatione heroem virtutis illa glorificat; porro hanc appellationem non mereretur qui aut discontinue aut proinde inconstanter excellentem praseferret habitum; quinimmo quum finalis perseverantia, a qua gloria coelestis dependet ex morte diiudicanda sit, heroicitas portendere se debet *ad obitum usque.*

Facile dicitur: « consummatus in brevi explevit tempora multa », facile divinae gratiae tribuitur libertas obtinendi talem consummationem praeter ordinem humanae psichologiae, restat semper quod Ecclesia in canonizandis non requirit sanctitatem utcumque sed illam praecise quae christifidelibus auctoritative proponi possit tamquam exemplum vitae, pluribus adiunctis virtutibus actibus revera probatum ad mortem usque.

Quae diuturnitas seu stabilitas reponitur a doctrina Lambertiniama in curriculo circiter decem annorum.

Intelligenda estne materialiter an moraliter talis diuturnitas? Iurisprudentia potius moraliter interpretatur: quandoquidem Ecclesiae mens seu intentio sufficienter videtur satisfacta si intensiva virtus estensivam suppleat ex pluribus argumentis integralis heroicitatis quae radicitus fundata resplendeat in consummata caritate stabiliter in subiecto constituta.

Recens exemplum habetur in causa servae Dei Catharinae Tekakwitha quae baptismum recepit anno 1676 et quatuor annis post mortem obivit, tamen sanctitatis fastigium attigit quae beatificatione, saltem ex capite digna visa est, quatenus quatuor postremi anni veluti epilogus apparuerunt anteactae innocentissimae vitae .

b) Sed pro canonizatione non respicitur sanctitas in abstracto, verum uti formula fert « in casu », scilicet *in tali subiecto* his non aliis subiectivis et obiectivis adiunctis constituto. Huc redeunt quae in genere supra explanavimus de specificatione sanctitatis loquentes. Indoles et institutio imprimis heroem commonstrare debent quatenus hae difficultatem, in comparanda omnimoda excellentia, non adeo minuisse censendae sint ut excellentiam ipsam pro communi virtute tandem haberi faciant.

Indoles naturaliter ad bonum inclinata, mitis et severa institutione religiosa erudita, quaeque tranquillo et honesto aëre, ut ita dicam, enutriatur et dirigatur, haud difficilius excellentiam aliquam attingere valet respectu aliorum qui passionibus et adversis moralibus adiunctis pressi mediocrem virtutem ostendunt. Probandum est ergo quod subiectum, stante sua indole et institutione, diuturnam in omnibus heroicitatem seu meritoriam excellentiam obtinuit. Quinimmo donorum et talentorum ratio adaequata habenda est, nam qui ditior est meliora facilius profert, qui supernis iuvatur charismatibus minorem primo ictu videri potest impendisse voluntatem in assequutionem virtutis.

c) Doctrina praeterea iure requirit *plenitudinem perfectionis* in subiecto canonizando, idque pluries diximus. Sed quo sensu iurisprudentia talem plenitudinem intelligit?

Agitur semper de definienda heroicitate in concreto respectu habito ad vitam subiecti determinati, proinde si complexive sumpta talis vita, saltem in postremo decennali periodo, pluribus exornata evincitur heoricis gestis, multiplicibus sc. actis elicitis qui qualitate heroica praediti sint, nulla admissa culpa caritate heroica semper informati, iam plenitudinem perfectionis canonizandae habemus. Talis mulpiplicitas enim clare commonstrare excellentem caritatem in Deum quae mirabilibus actis totam vitam informat eamque heroicitate illustrat. Iudicium profecto morali aestimatione regitur non matematica.

Sed numquid dicta heroicitas ex operibus exterioribus excellentissimis unice extrui possit?

« « Heroicitas virtutum-legitur in Doctrina S. R. C. — non deprehenditur in sanctis confessoribus sicut in martyribus ex uno vel altero opere exteriori valde arduo et difficili atque mirabili, quia tale aliquod particulare opus paucis sanctis confessoribus et raro occurrisse legitur et quibus occurrit quique talia peragere non inde praecipue aestimantur nec reputantur heroes sanctitatis, sed quia ante et postea, maxime vero postea usque ad obitum perstitere in continua numquam interrupta vitae innocentis serie, peragendo omnia iuxta praecepta et consilia evangelica cum circumstantiis conferentibus ad summos apices perfectionis quoad substan-

tiam et modum singulorum operum cumque firmo atque intenso rerum omnium terrenarum contemptu et pari cum adhaesione ad Deum et divina » (Benedictus XIV, o. c. III, 21, 10).

Tunc ergo heroicitas canonizanda non externis mirabilibus cohonestatur sed reali subiecti operantis virtute quae revera prout adiuncta ferebant excellens fuerit, excellentia inquam quae in voluntate fovetur etsi adiunctis apparenter communibus obstricta, quaeque facto interiori revelatur excelsa in omnibus.

d) Ex modo relatis iam patet, praeterea, quod heroicitas *non necessario* debeat *in omnibus et singulis virtutibus pari mensura elucere,* quinimmo fieri potest ut certa virtus omnino desideretur positive probatis. Casus frequens in processibus. Vocatio seu status imprimis ipsius subiecti rem plane explicat. Mater e. g. virginitatem suam probare nequit, neque religiosus, voto paupertatis adstrictus magnificentiam ostendere prout rex aut alius dives vir; graviter diuque aegrotans poenitentias severissimas alio prorsus modo supplet quas sanus adhibere valet, presbyter non gubernator politicam prudentiam cogitur negligere. Rem explicant dien ipsa vitae adiuncta: homines enim saepissime ferre illa debent quin possint eadem artificiose variare; lacunae proinde canonizationi non obstant quia haec non glorificat abstractam sanctitatem sed virum aut mulierem heroidem in sua vita concreta « in casu et ad effectum de quo agitur ».

Sapienter ergo doctrina docet: « *Quoad virtutes morales* heroicitatem restringi ad eas virtutes in quibus Dei servus dum viveret iuxta suum statum et condicionem poterat se exercere. (B. XIV, o. c. III, 21, 11) Sapienter inquam: nam supposita constanti heroicitate in virtutibus theologalibus fide spe caritate, quibus tota vita subiecti moralis regitur et informatur, necessario ceterarum virtutum heroicitatem subsequi dicendum est; quod a priori quidem dicitur a posteriori autem fere semper comprobatur facto. Animus revera non deest in paupere egestosos adiuvandi ex caritate in proximum, verum eum deficiunt media, ideo portendere nequit externa mirabilia; si desunt opera non desideratur virtus quae ex ardenti sinceroque amore in Deum necessario exurgit. Pariter dicatur de operibus iustitiae distributivae quae logice desunt in cive dum lacunam ostenderent in rege si deessent. Adiuncta immo deficere possunt quae Sancto cuidam heroicum exemplum certae virtutis suadeant, dum eadem adiuncta in vita aliorum obtinent et virtutis actus sugerunt. Quid inde? Dum animi dispositio iure supponi aut praesumi potest, non nocet contingens defectus operum seu signorum. Hinc dicebamus plenitudinem sanctorum relative accipiendam esse non absolute et materialiter.

e) Quia tamen sancti canonizandi *humanam naturam* dum viverent servarunt, ab iis exquiri nequit perfectio seu excellentia veluti divina. Multifarie sanctitas exurgit; modo inde ab infantia haud dubia indicia illius desumi possunt utpote virtutibus communibus iam praeclaris illustrata; aliquando ex illecebris mundanis sanctus quidem fit graduali transitu ad honestatem et inde ad excellentiam partialem denique ad consummatam undique virtutem; quinimmo possunt sancti initio vitae perfectae acribus poenitentiis umbras venialiaque peccata exsuperata ostendere, diuturnam luctam ex illicitis habitibus fere destructis sibi adhuc imponere ne iterum reviviscant aut ne ad larvatum actum alliciant etsi venialem; quodsi evenerit sanctitas non destruitur si debilitatem naturae portendant potius quam virtutis.

Distinguendo tempora iura concordabimus et ideas; praefinita sanctitatis periodo praegesta etsi gravissima, maiorem immo comprobare possunt virtutem victricem. Quod vero in ipsa perfectionis periodo eclipsis alia deprehendi edicatur non illico imprimis pro certa habenda est quum melior forte cognitio adiunctorum meliorem prodere valeat lucem et prudentiorem aestimationem gestorum; sed si, considerato etiam animo operantis eiusque fine quaedam obscura explicari nequeant veluti superioris logicae moralis effectus et ad imperfectionem reduci debeant: doctrina tales non excludit a canonizatione si imperfectio abundantissime fuerit eluta diligenter praeventa et poenitentiis longe abluta.

f) Decreta Urbani VIII exigunt denique in canonizando « *mortem sanctitate notatam* », siquidem illo adiuncto tota vita supernaturalis et moralis fere recapitulatur et exprimitur. Quod autem intelligendum est prout historica adiuncta permittunt, — addit iurisprudentia —.

Nam imprimis signa virtutis deesse possunt sive ex repentino obitu sive ex morbo qui sensus adeo opprimat ut fere extinguat; praterea signa ipsa quaerenda sunt prout urgens condicio permittit; hinc possunt deficere momento ipso mortis at clare deprehendi in antecedentibus immediate diebus et horis; iudicium semper in morali aestimatione ponitur non materiali. De signis virtutis autem non idem pro omnibus dicendum; qui placide obdormit in Domino placide se paratum iam antea ostendit; qui cruciatus doloribus naturae debilitatem non valet impedire animi tamen fortitudinem non necessario deperdit. Mors ergo sanctorum varia ratione deprehenditur illustrata sanctitate. Quum iuxta naturae leges fit vel melius nulla interveniente aegritudine normam coercenti, heroica fides resplendet in effusis precibus, in certissima spe qua recreatur moriturus, in studiosa caritate erga Crucifixum et supers-

tites consummatur. Moralis virtus resplendet in patientissima ac fere gaudiosa oboedientia seu obsequio in Divinam voluntatem, in consiliis prudentissimis elargitis, in suavi tolerantia mortis, in horrore de admissis etsi venialibus, in humili ferventique precum expostulatione, in rerum mundanarum contemptu laetissimo, in studiosa expectatione sacramentorum quorum susceptio pietatis insignis fit argumentum, denique in placidissimo obitu ubi quies et tranquilitas magna aeternae gloriae praenuntiant adventum.

6. Conclusio.

In iudicio de sanctitate ferendo tota impenditur tribunalis sapientia et prudentia. Agitur enim de morali iudicio quod suapte natura implicat plenam cognitionem legum theologiae ac praesertim psychologiae moralis quae disparatissimo modo in singulis verificantur, agitur de cohonestando ex actis et probatis conceptum integralis virtutis quod ex Evangelio depromitur attamen historica vicissitudine undique definitur. Intrinsecae difficultati obiecti accedit aliquando difficultas processualis quatenus probationes haud semper praeclare inserviunt suo fini quia testes nisi sagaciter interrogentur et instanter fere cogantur, genericis laudibus perabsolutis, subiectiva prorsus aexistamatione contenti, parum saepe de integrali eaque reali subiecti heroicitate offerunt, licet in apostolico processu probationes compleri possint et definiri melius quam in ordinario et ita meliorem segetem depromere cribrandam. Sed doctrina regit actus.

Hac de causa videntur non inutilia fore brevissima quae modo exposuimus si prae oculis habebuntur ab iis omnibus qui causis beatificationis incumbunt.

Salvator Indelicato

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

I MEZZI DI DIFESA CONTRO LA GIURISPRUDENZA DIVORZISTICA

Non risulta dagli annali della giurisprudenza italiana sia mai avvenuto che una Corte di merito abbia, con tenaci e ripetute manifestazioni, preso posizione decisamente in contrasto con i punti di diritto sanciti dalla Corte Suprema: ciò sta avvenendo oggi ad opera della Corte di Appello di Torino apertamente dissenziente « in re matrimoniali » dalle note decisioni della Cassazione a Sezioni Unite [1].

Il fenomeno, nella sua eccezionalità, va attentamente esaminato per stabilire le cause remote da cui il fenomeno medesimo trae origine: cause, diremo subito, che nulla hanno a che vedere con un serio conflitto di vedute giuridiche tra il massimo organo giudiziario ed un organo inferiore.

La riprova di tale constatazione si ha proprio negli argomenti, prevalentemente polemici [2], svolti nella sentenza, con cui la Corte di Torino — da ormai troppo tempo — elargisce effimera felicità ai coniugi infelici, richiama l'attenzione di una ben nota parte di stampa in caccia di bocconi scandalistici, genera confusione e disorientamento nel pubblico desideroso di certezza nella norma che regola uno tra i più gelosi istituti sociali.

Stralciamo dalle ultime sentenze della Corte di Torino alcuni passi.

---

[1] Corte di Appello di Torino: Sent: 5-10-1949, Sez. I, P. Pres. Est. Peretti-Griva Domenico, P. M. Lorenzo Saverio (difforme). Pivato-Brigliadori: Sent: 5-10-1949 Sez. I P. Pres. Est. Peretti-Griva, P. M. Lorenzo Saverio (difforme). Battuello-Gays: Sent: 13-1-1950 Sez. I P. Pres. Est. Peretti-Griva, P. M. Lorenzo Saverio (difforme) De Marchis-Rossellini.

L'ultima sentenza in ordine di tempo ha seguito di soli otto giorni la ferma equilibrata, dotta parola - in punto alla retta applicazione del diritto matrimoniale concordatario - pronunciata dal P. G. presso la Corte Suprema S. E. G. Miraulo in occasione della inaugurazione dell'anno giudiziario. Tale discorso - per la parte matrimoniale - è stato riprodotto in estenso da questa Rivista nel numero unico dell'anno 1949 pag. 197 e segg.

[2] Quando una Corte di merito intende andare in contrario avviso da quello seguito dalla Corte Suprema, prima preoccupazione del giudice inferiore è quella di portare validissimi argomenti e di illustrarli con particolare ampiezza per sostenere la propria tesi difforme.

« [3]... fino a poco tempo fa il P. M. soleva inviare direttamente le sentenze rumene di annullamento di matrimonio o di trascrizione agli ufficiali di stato civile competenti per la relativa trascrizione, senza punto esigere delibazione. Intervenuta una circolare ministeriale [4] in senso contrario, tosto il P. M. mutò avviso [5]. E non può recare meraviglia che cotesto grave errore del P. M. sia stato seguito dal Tribunale che avrebbe dovuto *avere un minimo di sensibilità giuridica* (sic)... *La Corte deve deplorare un simile sbandamento* che si augura doversi attribuire a mero, sia pure assai grave errore, *e non ad orientamenti e preoccupazioni estranei all'ordine giuridico e rientranti nel campo della mancanza di serenità o di indipendenza* (sic » [6].

Si legge in altra sentenza [7]: « Anche a questo proposito il Ministero di Grazia e Giustizia, *con dubbia sensibilità costituzionale e con inusitata iniziativa,* ha creduto recentemente, cogliendo occasione da un non affatto necessario intervento ufficiale per smentire sui giornali quotidiani un'*errata notizia* su una sentenza della Corte di Appello di Roma, di prendere evidente posizione a favore della giurisprudenza delle Sezioni Unite della Cassazione riguardo ai matrimoni concordatari e contro le opposte tesi delle Corti di merito di Bologna e di Torino ponendo in evidenza che il caso deciso riguardava un matrimonio tra israeliti [8]... E questa Corte si era richiamata in argomento al solenne imperativo morale, giuridico, religioso e sociale di Cristo « date a Cesare quel che è di Cesare ed a Dio quel che è di Dio » [9].

---

[3] Sent. cit. (Pivato-Brigliadori).

[4] Non si è trattato affatto di circolare: l'Ufficio I della Direzione Generale degli Affari Civili in data 2-7-1949 ha puramente e semplicemente « segnalato » ai Capi di Corte ed ai Procuratori Generali la sentenza della Corte Suprema a Sezioni Unite 25-6-1949 (Mazzola-Ranaldi), nella quale si erano agitate e risolte numerose ed importanti questioni di diritto.

Non pare possa seriamente discutersi che costituzionalmente non rientri tra i compiti propri del Ministero di Grazia e Giustizia quello di « segnalare » ai capi delle Corti di merito quelle decisioni della Corte Suprema che risolvono questioni di particolare interesse.

[5] Il P. M. poteva e doveva mutare avviso, non tanto per la « segnalazione ministeriale » quanto per le « sentenze segnalate » emesse dalla Corte Suprema istituita, appunto, per assicurare « l'esatta osservanza e l'uniforme interpretazione della legge ».

[6] La stessa Corte ha ribadito identici concetti nella sentenza Battuello-Gays (cit.).

[7] Sent.: De Marchis-Rossellini (cit.).

[8] In proposito vedasi quanto avemmo occasione di scrivere in questa Rivista, anno 1949 p. 210 nota 15. Non si riesce, comunque, a vedere di quale altra grave colpa siasi reso responsabile il Ministero della Giustizia nello smentire « un'errata notizia » (sono parole della sentenza) divulgata dalla stampa. D'altra parte si noti la necessità che la notizia medesima fosse « ufficialmente smentita », come « ufficialmente era stata diffusa » dall'A.N.S.A. Non altri all'infuori del Ministero di G. G. aveva autorità per far ciò.

[9] L'inopportunità del richiamo è evidente: comunque per esso si rileva la poca o nessuna competenza in materia evangelica di coloro che tale passo hanno

In sostanza la Corte di Torino muove un'aspra critica, di natura tutt'altro che giuridica (la sola consentita ad un Magistrato), all'operato del P. M., del Tribunale subordinato, del Ministero della Giustizia.

Orbene — a prescindere dall'asprezza della forma che poco opportunamente, a quanto ci pare, crea un nuovo stile nei rapporti tra gli organi giudiziari tra loro e con il Ministero della Giustizia — non riusciamo a comprendere come possa fondatamente muoversi censura ad un ufficio del P. M. che ha orientato la sua azione sulle orme del Collegio Supremo; ad un Tribunale che, seguendo lo stesso orientamento, ha... osato discostarsi dalle direttive della Corte di Appello; al Ministero della Giustizia, infine, che non ha divulgato sull'argomento *idee proprie*, ma si è limitato a « segnalare » alcune decisioni del massimo organo giudiziario in questione di notevolissima importanza collettiva.

La verità allora è più che evidente, proprio attraverso le argomentazioni della Corte di Torino; è evidente, cioè, che la colpa (ipersensibilità o conformismo politico) attribuita alle autorità prese di mira nelle varie sentenze, finisce col ritorcersi come un boomerang in danno del censore.

La forza del potere giudiziario risiede, è vero, nell'assoluta indipendenza degli uomini chiamati ad interpretare le leggi. Ma tale indipendenza non può essere intesa nel senso di indipendenza dallo ius conditum, ma di indipendenza dalle proprie passioni politiche, dalle proprie convinzioni, dai propri gusti e sentimenti.

In questo travaglio, che a volte diviene intima tragedia, sta la superiorità di coloro che han prescelto la difficile missione del giudicare.

* * *

Dato, comunque, per certo che — nonostante la decisa ed inequivocabile parola della Corte Suprema — la fucina torinese « libera di dissentire » [10], continuerà a fondere le moleste catene ma-

---

richiamato. Per le parole stesse di Cristo che « ad sacramenti dignitatem matrimonium evexit », (Can. 1012 C. I. C.), il vincolo è res sacra e non profana, e come tale, oltre che rientrare nella competenza esclusiva della Chiesa, è indissolubile: « quod Deus coniunxit homo non separet ».

Nè giova giuocare sull'equivoco di effetti civili e vincolo sacramentale, essendo purtroppo evidentissimo che colui che si risposa civilmente trasferisce ad altri i diritti ed i doveri coniugali quanto meno quelli relativi al bonum prolis, al remedium concupiscentiae, al mutuum adjutorium.

Vedi in proposito: Berri « *Matrimonio concordatario e divorzio* » in Giurisp. It. 1949, Disp. 12 P. I Sez. I. Lenti: « Di sentenze estere in materia matrimoniale » in Iustitia anno 1949 Fasc. 4-5. Pasquale: in « Il Tempo » del 17-1-1950.

[10] Sent. De Marchis-Rossellini (cit).

trimoniali compiacentemente portate sotto l'impero della sua competenza territoriale [11], pare urgente studiare quali siano i mezzi idonei per la rapida restaurazione della legge violata.

* * *

L'ufficio del P. M. [12] — com'è noto — deve per sua funzione generica « vegliare all'osservanza delle leggi, alla pronta regolare amministrazione della giustizia, alla tutela dei diritti dello Stato, delle persone giuridiche e degli incapaci, richiedendo nei casi di urgenza i provvedimenti dei giudici nei casi stabiliti dalla legge » (art. 73 R. D. 1941 sull'ordinamento giudiziario). Per questo complesso di altissima attribuzione il P. M. è detto « occhio del governo » o « occhio della legge » [13].

A parte le attribuzioni che il P. M. ha in penale (art. 74 R. D. 1941 cit.), le sue più importanti attribuzioni in materia civile si esplicano nel campo della giurisdizione contenziosa: ed egli le esercita in via di azione o mediante intervento [14]. In relazione alla seconda ipotesi la legge distingue nettamente il caso in cui il P. M. interviene in causa che egli avrebbe potuto proporre (art. 70 n. 1 c. p. c.) e gli altri casi ivi enumerati. Se si tratta di cause proponibili dallo stesso P. M. « questi ha gli stessi poteri che competono alle parti e li esercita nella forma che la legge stabilisce per queste ultime » (art. 72 p. p.); negli altri casi di intervento

---

[11] Si dice che per giustificare la competenza territoriale della Corte di Appello di Torino si sia consigliato alle parti di far precedere all'incardinamento della causa all'estero un deposito di somme presso Istituti Bancari correnti nel distretto torinese. Sia o non sia fondata la diceria ormai diffusa in numerosi ambienti mondani della capitale, certo è che nella causa De Marchis-Rossellini si è sostenuto che il convenuto era stato condannato dal Tribunale Regionale di Vienna « a consegnare alla De Marchis il contenuto del deposito patrimoniale esistente presso la Banca Commerciale - *Sede di Torino* - nonchè tutti i beni mobili di dotazione matrimoniale, ed effetti mobili ».

Si comprende, allora, come la stampa con sottile umorismo usi espressioni di questo genere « basta, allora, una sedia vecchia in qualche salotto o poche lire depositate in banca per ottenere il divorzio »; che suonano, oltretutto, offesa al prestigio della Giustizia.

[12] V. Zanzucchi « Diritto Processuale Civile » Ed. Giuffrè - Milano 1947 I° vol. pag. 218 e segg.. Pagani, « La funzione del P. M. » in Sinossi giuridica, 1942. A - lorio « Il P. M. nel nuovo processo civile » Riv. Dir. Proc. Civ. 1941, I, pag. 212 Carnelutti « In tema di intervento del P. M. » in Riv. Dir. Proc. civ. 1937, II, pag. 237. De Sanctis « Legittimazione ad agire del P. M. e controversia di Stato » Riv. Cit. pag. 101.

[13] Zanzucchi: op. cit. vol. I p. 220.

[14] In proposito vedi art. 75 Ord. Giud., 48, 58, 102 u. c. 117, 119, 125, 126 C. C. 70, 754, 763, 363 (ricorso alla Cassazione nell'interesse della legge), 397 (per revocazione) C. P. C.

previsti dall'art. 70 — ma non in Cassazione — « il P. M. può produrre documenti, dedurre prove e prendere conclusioni nei limiti delle domande proposte dalle parti, *ma non può proporre impugnazioni contro la sentenza* », salvo la domanda di revocazione nei limiti dell'art. 397 c. p. c. (art. 72 cap.) [15].

a) Orbene rilevata « l'incongruenza del sistema attuale ove si consideri che il P. M. ha già azione diretta per fare osservare le leggi di ordine pubblico (art. 73 Ord. Giud.) », il Guardasigilli ha presentato un disegno di legge per la modificazione dell'art. 72 c. p. c. « stabilendo che il P. M., nei casi in cui deve intervenire obbligatoriamente, possa proporre impugnazioni contro le sentenze [16].

E' questa indubbiamente una strada giusta che doveva essere seguita per consentire al P. M. una più efficace azione, che non sia quella del ricorso nel solo interesse della legge, a tutela della norma obiettiva sul matrimonio concordatario; tuttavia è questa una strada lunga, comunque tale che non consente — come sarebbe necessario — una immediata e concreta reazione alle future, eventuali violazioni dei principi sanciti dalla Corte Suprema [17].

---

Tale principium recise rejectum est a Decisione sequentibus verbis: « Judex id praesertim prae oculis habere debet, quod poenae, a jure contra defloratorem statutae, in *defloratae commodum* sunt, minime autem in illius damnum, ita ut seducta at *recusans* seductori nubere, *jure* suo *utitur*, quod planum est, immo facile intelligitur, cum puella contra suum defloratorem taedio, aversione, immo odio non raro afficiatur. In tali igitur casu, si pater severus ex sua parte reluctantem filiam ad nubendum defloratori cogeret, novam iniustitiam adversus filiam committeret, cum ob salvandam famam familiae jus obligandi filiam vel eo minus imponendi matrimonium cum seductore ipsi minime competat. Cfr. causam *nullitatis matrimonii* coram Rev.mo P. D. Grazioli, diei 31 martii 1933 ». (p. 820 § 3). Atque pressius in conclusione partis in facto: « Memoratum principium, quod pater filiae culpabilis jus habeat vim inferendi in eligendo matrimonio, unde pro metus justitia concludendum esset, numquam ab H. S. Tribunali admissum est. Jam Divus Thomas in sua *Summa Theol.* quaestio XLVII, art. VI, ad quaestionem nostram: « Utrum aliquis praecepto patris possit compelli ad matrimonium contrahendum », responderat: « Quod cum in matrimonio sit quasi servitus quaedam perpetua, pater *non potest cogere filium* ad matrimonium per praeceptum, cum sit liberae conditionis; sed eum *potest inducere* ex rationabili causa etc. ». Quae doctrina jurisprudentia S. Romanae Rotae semper observata fuit, prouti id numerosae decisiones Rotales manifeste evincunt. Cfr. causam *nullit. matrim.* coram Exc.mo Decano Massimi, die 30 junii 1928 et causam *Brixien.* coram eodem, die 7 augusti 1928. In casu autem deflorationis, quam filia sive ob culpam propriam sive seducta passa est, ipsa *libertatem* in eligendo matrimonium *minime perdit,* cum illud etiam pro deflorata quasi servitus quaedam perpetua remaneat et deflorata, prouti in casu nostro, gravissimas rationes habere possit, ob quas defloratorem respuere debeat. Immo *poenae,* si aliquando in casu deflorationis a lege statuuntur, semper contra seductorem, *numquam vero in damnum defloratae* puellae latae sunt, prouti id in jure jam expositum fuit » (pp. 831-832, § 15).

Etiam celebris distinctio inter *metum causam dantem* (qui unus a jure canonico consideratur ad finem evincendae nullitatis coniugii, prout clare patet ex verbis canonis 1087 « matrimonium initum *ob* metum » et « a quo ut quis se liberet ») atque *metum concomitantem,* pluries illustrata invenitur in recensito volumine. Memoramus pro cunctis verba decisionis XXXII coram R. P. D. Jullien: « (Metus concomitans) accessorie impellit quidem, sed non principaliter determinat contrahentem, qui, puta, etiamsi prolatae non fuissent minae, nihilominus contraxisset propter qualitates sponsae vel mali dati resarciendi causa, etc. Quo in casu cavendum est ne ponatur pro causa quod revera non est causa vera et sufficiens » (p. 344, § 2).

Nonnullae decisiones illam specificam formam metus respiciunt qui *reverentialis* nuncupatur. Repetuntur in eis nota principia de qualificatione huiusmodi metus per instantias, preces consiliave molesta, saepe

iterata, inopportuna, vel etiam per nudum imperium, durum et absolutum, ex parte superioris.

Saepe, certe, haud facile est practice dignoscere utrum inferior cesserit oppressus a vi morali superioris ac vere metuens eius diuturnam indignationem — quae est obiectum speciiicum metus reverentialis —, an potius cesserit quia ei suasit superior opportunitatem matrimonium contrahendi vel etiam voluit ille morem gerere superioris. In hisce binis postremis hypothesibus consensus est liber ideoque matrimonium est validum. In utraque succurrit criterium propositum a sententia XXXVII Parisien. coram R. P. D. Wynen; « At oritur quaestio, undenam in certis casibus cognoscatur, quod contrahens non simpliciter morem gesserit parentibus, sed vere invitus nuptias a parentibus propositas vel etiam impositas acceptaverit. Praeter adductam resistentiam a contrahente ostensam, praecipuum medium cognitionis est praeexsitsens aversio influxum parentum passi adversus alteram partem, cum qua nuptias inire impellitur. Sane, ex magna aversione nupturientis adversus compartem semper oritur praesumptio coacti coniugii, sicuti in decionibus Rotalibus constanter pronuntiatur; nam factum quod quis vitae consortium perpetuum init cum eo, quem vera aversione vel odio prosequitur, recte supponit eum ad id faciendum vel metu simpliciter gravi vel metu reverentiali qualificato coactum fuisse, nisi contrarium probetur et alia adsit ratio. Id autem eo magis valet de illo, qui non simplicem antipathiam vel aversionem habet adversus personam cum qua contrahere adigitur, sed veram aversionem ut aiunt physicam advertit adversus illam personam; talis enim aversio physica excitat in contrahente horrorem proprie dictum ab illa persona, et omnia suadent, ne cum ea ineat sacrum foedus cuius exitus praevidetur infaustus; et si nihilominus contrahat, gravem et iniustam coactionem passus esse praesumitur » (pp.401-402, § 4).

In dec. VI pariter coram R. P. D. Wynen, adducitur exceptio noto principio quod, in quolibet metu, is non censetur gravis nisi eum patiens avertere conatur: « Talis vero recursus vel imploratio auxilii omitti potest, *si praevideatur inutilis*, quia v. g. pater quoque apud filium vel filiam instat, ut certum aliquod matrimonium celebretur » (p. 62, § 2).

Peculiari momento nobis videtur pollere principium, quod enuntiat, semper in themate metus reverentialis, Decisio LXXIX in causa Bacien. coram R. P. D. Heard, quae respicit matrimonium contractum ante Codicis promulgationem apud gentes germanicas in Jugoslavia habitantes, in quarum familiis regimen patriarchale adhuc subsistebat: « *Ubi autem in moribus alicuius gentis est ut per arbitrium genitorum independenter a filiis matrimonia concilientur, inquisitio diligentior convertenda est in perscrutando statu animi patientis, quoniam hic, informatus tandem sua saeculari traditione, facile sese eventibus accomodare potest, sive indifferenter impositum matrimonium acceptando, sive, si quae aversio adest, morem gerendo voluntati illi cui resistere ei nequam videtur.* Qui enim morem gerit, nisi invite hoc fecit, valide

contrahit » (p. 888, § 2). In facto, reapse Sententia dubitavit num talis « oboedientiae habitus » virum induxerit ad libere eligendum matrimonium nonobstante eius aversione erga sponsam. Attamen Sententia pariter pronutiavit matrimonii nullitatem, quoniam vitiatum retinuit mulieris consensum ob metum a « duro patris imperio et matris saevitiis » exorientem.

Quaestio juris valde implexa resoluta est a docta sententia LXVIII in causa Jasen. coram R. P. D. Wynen, an scilicet orientales dissidentes ligentur ab impedimento vis et metus. Nam, dum, uti patet, acatholici omnes, sicut homines universi, ligantur a jure naturali (ideoque eorum coniugia certissime invalida sunt si contracta cum impedimentis juris naturalis, ex. gr. impotentia, vel vitiis consensus quae in eiusdem defectum redundent, qualis sunt ignorantia, amentia, simulatio totalis vel partialis, etc.), dubitari potest quod attinet ad metum, qui consensum non demit atque in jure ecclesiastico suum praecisum regimen juridicum invenit. Sententia, affirmative quaestionem solvit, his principiis innixa, magna eruditorum argumentorum copia illustratis: 1) impedimentum metus suum fundamentum habet in jure naturali: 2) etiam haeretici et schismatici, utpote baptizati, ideoque Summo Pontifici subiecti, tenentur impedimentis matrimonialibus vel mere ecclesiasticis: 3) Orientales dissidentes tenentur, praeterquam legibus pro universa Ecclesia latis, legibus illius ritus ad quem ante separationem ab unitate Ecclesiae pertinebant. Atqui in ritu rumenico catholico viget impedimentum vis et metus. Ergo etiam coniuges in casu, qui ambo ecclesiae rumenicae dissidenti adhaerebant, tenebantur huic impedimento (pp. 745-751).

Super eadem iuris quaestione, anno 1948, Rotae, coram eodem Ponente, pronuntiare rursus contigit. Sententia haec recens legi potest in « Periodica de re morali » fasc. IV (1948) pagg. 313-328: in ea quaestio ampliore adhuc ratione evolvitur et illustratur, alia addita consideratione in favorem extensionis impedimenti metus ad rumenos « orthodoxos »: quod nempe hoc impedimentum, quatenus jam ante schisma saeculi XI pro universa Ecclesia vigebat, adstringebat etiam omnes orientales baptizatos.

Recensendas heic putamus etiam nonnullas decisiones quae quaestiones processuales tetigerunt, stricte adhaerentes merito causae quod metum respiciebat.

Ita, de valore epistularum amatoriarum, quae in causa de metu ac de simulato consensu productae sunt, sequentia legimus in Dec. LVII coram R. P. D. Jullien: « Jamvero epistolae amatoriae ante matrimonii celebrationem datae non constituunt pro libertate scribenti argumentum irrefragabile, nam jura volunt docetque Nostri Fori praxis, rem in cunctis causae circumstantiis considerandam esse. Enimvero ad normam can. 1817 et 1753, Judicis est, perpensis omnibus rerum adiunctis, aestimare quanti faciendae sint epistolae in judicio adductae, quemadmodum alia documenta privata necnon ea quae extra judicium scriptis

confessa sunt. Siquidem simulare aliquis potest non solummodo oretenus, verum etiam scriptis; sed in utroque casu simulatio invicte probetur oportet, uti dictum est in juris expositione; atqui de simulatione in scriptis facta jam observantur haec: multo major fides adhibenda videtur scribenti tempore minime suspecto quam eidem postea deponenti in judicio, ubi agitur de libertate sua repetenda; et probatio simulationis eo difficilior est quo diutius in multisque epistolis simulatum fuisset. Quocirca ut Judex de scribentis veracitate hinc inde negata atque affirmata recte judicet, primum aequo animo rimetur epistolarum tenorem; at non solummodo ad eas applicet mentem suam, sed deinde ex omnibus, quae in eius praesentia proponuntur, formet animi sui motum (cap. *In praesentia,* 6, X, *De renunciatione,* 1, 9,), improbatis vero explanationibus allegatis ab iis qui veritati non acquiescunt, se vanis subtilitatibus et mendaciis ipsi illaqueantes. Cf. ex. gr. sequentes N. S. O. Decisiones, quae de eiusmodi epistolis disceptantes ad normam doctrinae expositae, pronutiaverunt: *pro nullitate matrimonii*: *Null. matr.,* 11 martii 1912, c. R. P. D. Cattani-Amadori, n. 14, vol. IV, Dec. XI, n. 14, pag. 139, s.; *N.m.,* 6 augusti 1924, c. R. P. D. Parrillo, n. 12, 13, 15, vol. XVI, Dec. XXXVII, pag. 336, s.; *pro validitate matrimonii*: *Null. matr.;* 9 martii 1915, c. R. P. D. Many, n. 7, vol. VII, Dec. VIII, n. 7, pag. 87; *N.m.,* 21 dec. 1927, c. Excmo P. D. Massimi, Decano, n. 8-9, vol. XIV, Dec. LIX, pag. 538; *N.m.;* 18 martii 1929, c. R. P. D. Grazioli, n. 15-17, vol. XXI, Dec, pag. 167, ss.; *N.m.,* 14 maji 1934, c. R. P. D. Mannucci, n. 6, vol. XXVI, Dec. XXX, pag. 279, s. » (pp. 630-631 § 4).

In alia sententia, XL coram R. P. D. Wynen, peculiariter notatur valor retractationis ex parte conventae, passae metum, quem in superiore negaverat depositione: « Equidem conventa ipsa in sua depositione judiciali asserit se omnino libere Salvatori nupsisse atque negat quamlibet coactionem ex parte sui patris. Sed ad ultimum quaesitum: « Può dire con tutta coscienza che lei fece il matrimonio con Salvatore non liberamente, ma per le minacce del padre? », postquam a Judice admonita est ut dicat veritatem, quae ipsi utilis esse possit: « La convenuta — sicuti legimus in eius interrogatorio — rimane profondamente costernata e si chiude in assoluto silenzio ». Immo, brevi post conventa sua sponte recomparuit coram Judice, aiens: « Le dichiarazioni fatte poco fa non corrispondono a verità e le ho fatte per paura di mio padre ». Deinde exposuit, quomodo a patre suo ad matrimonium coacta fuerit... Neque dicatur cum sententia appellata revocationem prioris depositionis Mariae nihil faciendam esse juxta can. 1752. Nam citatus canon respicit potius confessionem unius partis contra se factam, quam pars revocare nequit nisi incontinenti vel nisi probet confessionem per errorem facti contigisse, cum scilicet ex tali confesisone oriatur praesumptio de bono jure alterius partis. At hoc spectat potius causas civiles seu contentiosas, neque in casu depositio « pro adversario » facta est (cfr. can. 1750). Quare canon a sententia appellata citatus non prohibet, quominus pars, quae in causa matrimoniali menda-

cium dixit, immo perjurium commisit, ad Judicem revertatur et verum dicat. Ad summum dici potest in casu, conventam, juxta can. 1789, 3°, non esse fide dignam, cum sibi contradixerit in re substantiali seu cum sit varia » (pp. 448-449, § 4).

DE CAPITE SIMULATIONIS TOTALIS

Accurate in cunctis Decisionibus in themate latis exponuntur nota principia juris illustrantia canonem 1086 § 2, ac requisita ad probandum hoc difficillimum inter nullitatis capita. Quae inter requisita, magnum momentum tribuunt Decisiones *causae simulandi,* quae esse debet gravis ac proportionata. Reapse, generatim, sententiae nullitatis actionem rejecerunt ob defectum huiusmodi causae. Cfr. praesertim Decisiones: XXI coram R. P. D. Canestri, quae tamen infirmata est anno insequenti coram R. P. D. Wynen; agebatur de viro quam maxime immorali qui solummodo pecuniae fame pulsus acceptaverat contrahere coram parocho simul detrectans civilem ritum quem unum cogentem retinebat, ac post paucos menses mulierem dereliquit matrimonium canonicum cum alia attemptans (p. 216 ss.): Decisionem XXIII coram R.P.D. Grazioli Decano in causa Angelorum et S. Didaci, in qua ne carceris quidem timor reputatus est apta simulationis causa (p. 237 ss): Decisionem XLV coram R. P. D. Janasik (p. 494 ss.): Decisionem XLVIII coram R. P. D. Canestri (p. 523 ss). Quoniam metus adducitur tamquam frequentior simulandi causa, non est abs re referre nonnullas animadversiones Decisionis LII coram E. P. D. Grazioli, Decano in c. Reginaten: « Causas inter adnumerandus venit metus, qui in genere iisdem praeditus esse debet conditionibus de quibus in c. 1087, ac praesertim gravis sit oportet... Ab extrinseco insuper plerumque esse debet: qui enim aliquid vult metu ab instrinseco, esto non libenter, illud tamen vult, et proinde haud facile concipitur simulate ipsam agere vel egisse » (p. 565, § 5).

Ista tamen principia non confirmantur a Jurisprudentia, quae passim ac certe multo rectius declarat metum tamquam simulationis causam non indigere requisitis in c. 1087 enumeratis, excepta forsan gravitate. Pro cunctis citanda verba Decisione LXII coram R. P. D. Jullien: « Si quis asserat se matrimonium simulasse metus causa, probetur oportet adfuisse in casu talem metum, qui, *quamvis prae se non tulerit omnes conditiones positas in can. 1087* § *I,* tamen adeo urgens fuerit, ut induxerit ad simulandum et reddiderit aliquo modo excusabilem fictionem (cfr. D'Annibale, *Summula,* tom. II § 412 nota 45; Dec. IV. S. O. c. R. P. D. Prior, 9 julii 1911 n. 9 vol. III Dec. XXII pag. 241) » (p. 629, § 3).

Majoris momenti videntur animadversiones, quae in citata Sententia LII leguntur de *concursu causarum* seu finium a contrahente intentorum: « Valde periclitari pariter dicenda est simulationis probatio, si una cum asserta forte causa gravi vel gravissima qualis est metus de

quo supra, concurrant aliae causae seu fines diversi, etsi per se cum simulatione compossibiles: puta, si quis matrimonium ficticium tantummodo se contraxisse contendat ut filium legitimare possit. Nulla demum profecto simulatio adesse dicenda est in eo, qui matrimonium iniit quia putat ad hoc ex conscientia se devinci, etsi falso praesupposito sive juris sive facti innitatur; nam praecisione facta ab erroris vi in eius consensu, non intelligeretur quomodo ille possit muneri suo satisfacere, quod in vero contrahendo matrimonio consistere putat, nisi in idem *vere*, non ficte, consentiat » (p. 566, § 6).

Semper in themate simulationis una cum metu invocatae, notum est principium a praevalenti vel potius constanti jurisprudentia asseveratum de incompossibilitate simulationis ac metus qua distinctorum capitum nullitatis eiusdem matrimonii. Nam simulatio est defectus id est inexistentia consensus matrimonialis: qui igitur, utpote inexistens, nequit qualificari meticulosus. In metu, e contra, consensus isque verus praestatur, etsi non libere; quare semel hoc admisso, nequit asseri inexistens seu simulatus. Pro cunctis memoramus decisionem LXXI anni 1938 coram R. P. D. Pecorari: « Simulatio et metus duas constituunt causas petendi, non solum inter se diversas, sed et tales, quae simul stare non possint. Etenim, per simulationem nullus consensus haberetur, seu consensus matrimonialis deest: per metum contra consensus quidem habetur, etsi vitiatus » (S. R. Rotae Dec. vol. XXX, p. 648).

Proinde, in concreto, si utrumque caput accusatur, Judices solent primum agere de simulatione ac, quatenus negative i. e. si eam non existentem vel non probatam retinent, transeunt ad examinandam nullitatem ex capite metus.

Attamen non desunt exceptiones. Ita in volumine Decisionum a. 1940, sententia XXXV coram R. P. D. Teodori nullitatem matrimonii pronuntiavit ex utroque capite (pp. 383-385, §§ 8-9).

DE CAPITE EXCLUSAE INDISSOLUBILITATIS

In decem, prout diximus, decisionibus hoc caput respicientibus, similia inveniuntur ac pro mox viso capite. Enimvero, haec exclusio seu, uti aiunt, simulatio partialis, eo est quae majorem praesefert similitudinem cum totali, attento quod matrimonium sine indissolubilitate percipitur revera tamquam matrimonium non verum coram conscientia ipsa profanorum, saltem apud catholicos, magis quam matrimonium sine bono prolis vel sine unitate.

Ex hac tamen animadversione non descendit necessario scientia nullitatis ineundi coniugii in nupturientis mente. Nec nobis constat Rotalem Jurisprudentiam hoc umquam affirmasse. Quare unica videtur mansisse contraria assertio quae legitur in Sententia V in causa Romana coram R. P. D. Pecorari: « Quia demum, « nihil volitum, quin praecognitum », in themate de positiva exclusione perpetuitatis vinculi matrimonialis, affirmari non potest quempiam voluisse talem ex-

clusionem perficere, ne in perpetuum se ligaret, quin probe sciverit per talem suae voluntatis actum haberi matrimonii nullitatem: nempe indissolubilitatem esse proprietatem tam essentialem matrimonii christiani, ut, eadem exclusa, matrimonium ipsum non subsistat ». (pp. 51-52, § 7).

In caeteris Decisionibus, quemadmodum vidimus pro totali simulatione, redeunt considerationes de momento *causae* ob quam quis excludere praetenderit matrimonii indissolubilitatem.

Tali enim circumstantiae primus locus assignatur in Decisione IX in causa Parisien. coram E. P. D. Grazioli Decano: « Jamvero ut de simulatione (partiali) constet, *constare in primis debet de eius causa,* quae proportionata sit oportet ad tantum facinus explicandum » (p. 95 n. 4). Ac reapse sententia declaravit non constare de nullitate, infirmando ita decisionem praecedentis Turni Rotalis, quia praesertim aptam non retinuit adductam causam, quae erat in casu quaedam non gravis aversio viri in sponsam se ditiorem, quam ducturus ipse erat ob moderatas matris suae instantias necnon « par l'espoir d'une situation brillante » (pp. 97-98, §§ 6-7).

Semper quod spectat ad causam huiusmodi exclusionis, recensetur *metus,* qui tamen, et heic, non est iudicandus juxta criteria a canone 1087 statuta. Ita in una Vindobonen. quae est Decisio XVI coram R. P. D. Pecorari: « Inter circumstantias matrimonio antecedentes, quae invocari possunt in favorem praesumptionis, vel ad sustinendam simulantis confessionem, accensetur quoque metus, et gravis aversio eius, qui simulavit, erga alteram partem. In casu autem necessarium non est probare metum locum habuisse prouti in can. 1087 describitur; etenim non ex capite metus nullitas matrimonni denutiatur; sufficit tantum probare quod metus incussus vere gravis, saltem relative ad patientem, fuit; ita ut patiens, metus ipsius causa, matrimonialem consensum simulaverit ». (p. 156, § 5).

In facto, sententia, prout caeterae, declaravit non constare de nullitate, praeter alia argumenta ob non probatam metus gravitatem.

In Decisione vicissim XXIV coram R. P. D. Jullien, theoretice quoque adducta causa — quae constitisset in malo viri conventi familiae exemplo — declarata est non urgens. Aderat vicissim coniugum amor: « Mutuo enim amore animoque prolis suscipiendae conciliatum, matrimonium istud nullam quidem causam prabebat ut perpetuitas excluderetur cum maxima sponsae dilectae iniuria » (p. 252, § 9).

De eadem causa hanc gravem psychologicam considerationem legimus in Parisien. coram R. P. D. Canestri, quae est Decisio XXXVIII: « Probatio hauriri valet... ex apta simulationis causa, *quae tamen eo levior in proportione admittitur, quo peior est simulantis incredulitas et impietas,* immo aliquando *haec causa resolvi potest in pravam simulantis voluntatem* » (p. 415, § 4). Similia verba leguntur in sententiis XLI et XLVII coram eodem Poente (p. 459, § 4; p. 525, § 4).

Legitur insuper in pluribus decisionibus classica distinctio inter

errorem mere theoreticum et positivum voluntatis actum contra matrimonii perpetuitatem, qui unus secum fert contractus nullitatem.

Quod attinet ad probationem, peculiariter notanda venit decisio XI coram R.P.D. Heard, quae praemisso quod non est necesse ut positiva illa intentio deducatur in conditionem vel respiciat « matrimonium specificum nunc contrahendum » (nam respicere posset « etiam matrimonium in genere vel in futuro forsan contrahendum »: « talis enim generalis intentio excludendi indissolubilitatem virtualiter perdurabit usquedum revocata fuerit »), animadvertit: « In foro autem externo, deficiente expressa conditione, probatio semper difficilis erit, cum agatur de actu interno, sed adhuc magis difficilis si de actu generico agitur circa omne matrimonium; meno enim, nisi adsit speciale quoddam motivum, huiusmodi actum eliciet, et istae generales propositiones, quae plerumque fiunt circa contractum matrimonialem, praesertim in nationibus ubi divortii civilis lues valde diffunditur, fere semper in intellectu manent neque ad verum actum voluntatis perveniunt. Dato favore juris quo gaudet matrimonium ex canone 1014, necnon praesumptione specifica in can. 1086, § 1: « Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis », ex argumentis dumtaxat omnino concludentibus pro nullitate matrimonii pronuntiandum est ». (p. 110, § 2).

Quod strictius ad processum spectat, notanda est admonitio quae legitur in cit. Sententia XXIV coram R. P. D. Jullien erga abusum quaesitorum quae aiunt « suggestiva »: « Deinde advertendum est, quod in prima instantia utrique coniugi ac testibus facillime datum est affirmare verbis apertissimis Ascanium non voluisse contrahere matrimonium nisi « solubile », ut aiunt, idque sub conditione sine qua non; nam ut haec coram Judice dicerentur, satis erat repetere verba quaesitorum. Eiusmodi igitur affirmationes nullius sunt in judicio valoris, nisi certis adiunctis plene adminiculentur » (p. 248, § 4).

DE CAPITE EXCLUSAE UNITATIS

Utraque Decisio, negativa, de re lata (XLIV ac LXXVI) clare ostendit maximam difficultatem adipiscendi huius capitis probationem, attenta distinctione inter recusatum jus et recusatum exercitium juris, seu inter abiectam obligationem fidelitatis et abiectum merum huiusmodi obligationis adimplementum. Nam practice haec distinctio numquam vel fere numquam superari poterit criteriis quibus interdum analoga distinctio quoad bonum prolis superatur. Quis enim pactum vel condicionem in re tam probrosa et iniuriosa erga alteram partem valebit aut audebit proponere ante matrimonium?

Nec alia criteria facile succurrunt. Nam etiam circustantia ex. gr. viri contrahentis cum intentione continuandi commercium carnale cum amasia quam habuerat, reiicitur a Decisione LXXVI, ponente R. P. D. Wynen, tamquam inducens praesumptionem in favorem exclusae radi-

calis obligationis ad fidem servandam: « Qui ante nuptias sibi proponit fidem coniugalem laedere, sive rem habendo cum amasia antenuptiali sive cum alia muliere, pravitatem quidem detestabilem committit, sed hoc pravum propositum non dirimit matrimonium. Praesupponitur enim talem hominem in contrahendo noluisse compartem privare *ipso jure exclusivo* in actus per se aptos ad generationem prolis, sed eum intendisse tantummodo suam obligationem relativam in contrahendo susceptam non observare, nisi in aliquo casu particulari aliunde ex argumentis concludentibus ostendatur virum in celebratione matrimonii positivo voluntatis actu exclusisse ipsum respectivum *jus* ad fidelitatem. Multo minus habetur nullitas matrimonii, si vir, brevi vel diu post nuptias, redit ad suam amasiam, cui ante nuptias valedixisse videbatur » (p. 383, § 5).

DE CAPITE EXCLUSI BONI PROLIS

Quoad principia generalia, ac praesertim in recolenda celebri distinctione supra visa, cunctae concordant Sententiae in hoc volumine comprehensae. Aliqualis tamen differentia adest in exponendis vel aestimandis variis criteriis quae jurisprudentia et doctrina pro practice servanda illa distinctione excogitarunt.

Ita, in Decisione VII coram R. P. D. Quattrocolo, affirmatur: « Citra conditionem et citra pactum, quo a contrahentibus aliquid statuitur essentiae matrimonii contrarium, intentio semper praesumitur matrimonium dumtaxat foedandi » (p. 71, § 5). Ac quoniam in casu non agebatur de pacto nec de conditione, sententia fuit negativa. Similia leguntur in alia coram eodem Ponente, seu Decisione XLII, pariter negativa, quae tamen infirmata est a subsequenti Turno Rotali.

In Decisione XLIII coram R. P. D. Heard mentio fit de uno pacto, in relatione ad opinionem E.mi D'Annibale ac additur: « Probato igitur pacto inter partes ante matrimonium inito, praesumptio est jus exclusum fuisse; secus stat praesumptio in favorem matrimonii. Sed agitur tantummodo de praesumptione juris. Possunt quidem partes per pactum usum juris excludere, sicut et potest excludi ipsum jus, quin pactum habeatur. Judicis est in unoquoque casu totum complexum causae perpendere et exinde deducere de qua re agatur. In dubio standum est pro valore matrimonii ». (p. 471, § 2).

Attamen notandum est in casu concreto de pacto adamussim actum esse, quare praesumuntur judices noluisse e facti specie egredi.

Criterium autem *perpetuitatis* intentionis, quod in recentiore jurisprudentia praevalere videtur, innuitur a Decisione LXXVII coram R. P. D. Canestri (p. 849, § 3) ac fusius adhuc evolvitur in Decisione LXVIII coram R. P. D. Wynen per sequentes considerationes: « Si quis vero *in perpetuum* detrectat procreare filios et ideo sibi proponit copulam coniugalem numquam honeste peragere, quin hoc propositum expresserit sub forma verae conditionis neque sub forma pacti cum

comparte initi, tunc nihilominus generatim quidem ex tali pravo proposito deduci posse videtur exclusio ipsius juris, sed in casu particulari omnia adiuncta causae perpendenda sunt, ut ex eis veritas eruatur » (p. 752 in fine).

Prorsus novae sunt denique considerationes ac conclusiones quae leguntur in Decisione XXV coram R. P. D. Pecorari: has tantum referimus: « Si constiterit hoc obiectum specificum (actus voluntatis ex parte nupturientum contra prolem), sive simplicis actus voluntatis, sive mutuae conventionis seu pacti, sive etiam conditionis, fuisse positivam et totalem exclusionem juris coniugalis, matrimonium nullum dici poterit; si vero ex actis emerserit obiectum specificum huius voluntatis proli contrariae tantummodo fuisse, *ut generatim accidit,* non rectum usum seu abusum eiusdem juris coniugalis, quacumque ratione seu forma idem voluntatis actus ponatur, matrimonium sustinetur » (p. 261, § 6). Aliis verbis, nullitas matrimonii numquam posset declarari ex hoc capite, nisi constet contrahentes intendisse abstinere a quovis contactu sexuali. Nec, iuxta hanc opinionem, valet pactum, nec conditio, nec perpetuitas, nam semper praesumenda foret exclusio meri exercitii juris seu voluntas abutendi matrimonio, integro servato jure coniugali.

Attamen, Decisio ista infirmata est a Decisione diei 6 maji 1941, lata a Turno quinque Auditorum, Ponente R. P. D. Wynen, quae, amplissimis allatis rationibus, confutavit etiam totam partem in jure citatae sententiae ac traditionalia Rotalis jurisprudentiae principia definitive vindicavit. Opiniones autem in singulari citata Decisione XXV a. 1940 expresse a nemine, quoad sciamus, umquam amplius propositae sunt.

Etiam in exclusione boni prolis suum pondus habet *causa exclusionis,* praesertim quoniam ex ista comprobatur gradus firmitatis voluntatis vel dignoscitur an revera intentio perpetua esse debuerit. Satis sit ad rem notare unam affirmativam Decisionem super hoc capite anno 1940 latam, quae est XLIII jam supra citata, admisisse in facto praeter pactum et conditionem, a muliere appositam, etiam perpetuitatem exclusionis ex huius parte « ob causam *natura sua* perpetuam » (p. 476 n. 15). Quae causa in casu fuit mulieris timor ne sponsus psychice omnino sanus esset ac psychicum vitium in prolem transmitti posset (p. 472, n. 3; p. 475, n. 13).

Richardus Romano
Advocatus Rotalis
de Collegio Procuratorum SS. PP. AA.

(*continuabitur*)

Miceli G., *Guida pratica per la celebrazione del matrimonio.* Manuale ad uso delle curie e dei parroci in Italia. Roma, Il Monitore ecclesiastico, 1948.

Plurium manualium circa matrimonii celebrationem hoc nobis optinimum videtur parochorum ac Curiarum necessitatibus. Amplum com-

mentarium haberi potest ut ad praxim deducatur Instructio *Sacrosantum matrimonii institutum* a S. C. de disciplina Sacramentum edita die 29 iunii 1941, peritia compositum quam habere potest officialis eiusdem S. C. huiusmodi argumento addictus.

Operis introductio dignitatem et momentum matrimonii respicit, ac fundamentales judidicas notitias praebet circa administrationem sacramenti. Auctor inde exponit praxim processiculi praematrimonialis prout ab Ecclesia praescribitur et celebrationis matrimonii. Materiae explicatio quam clarissima est, documentorum ac inquisitionum explendarum iuxta casuum multiplicitatem expositio diligens ac singula persequens, difficultatum solutiones tutae, praescripta ad diem relata. Opus itaque nulli parocho aut Curiae desit, cum ipsorum maxima intersit.

Auctor, clero italico librum proponens, praescriptis ac legibus ab omnibus in Ecclesia observandis, addit quae vi Concordatus servari debent; quamobrem opus utile est sive clero cuiusvis nationis, sive iuris studio deditis; aptum quoque videtur velut textus in seminariorum scholis pro theologia pastorali ac canonici juris.

Peculiare operis commodum sunt collectio documentorum ad rem pertinentium, quae saepe difficilius habentur, et rerum copiosus index, quo expeditius argumenta inveniuntur.

Saverio Paventi. *La Chiesa Missionaria. Manuale di Missionologia dottrinale.* Roma 1949, pp. 542.

Opus, quod ad lectores producimus, tractat de Ecclesia missionaria et est manuale de missionologia doctrinali. Auctor, qui utpote officialis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide a primigeniis fontibus doctrinam de re missionali hausit, totam missionologiam dividit in quinque partes: Missionologia generalis, Hierarchia missionalis, Efformatio missionarii et methodologia missionalis, Cooperatio missionalis et quinto Missionologia descriptiva.

Tres priores partes continentur in Manuali de Missionologia doctrinali, quem sequetur aliud volumen, cui titulus erit: « La Chiesa Missionaria. Manuale di cooperazione missionaria e di missionografia ». Quod secundum volumen tractabit de obligatione christifidelium adiuvandi missiones et de variis operibus ad hunc finem erectis Romae et in ceteris orbis regionibus nec non de missionografia. Publici iuris erit exeunte mense aprili vertentis anni.

Prima pars Manualis missionologiae doctrinalis tractat de missionologia generali et obsolvitur viginti tribus capitibus. Sex priora capita exponunt satis ample notiones generales et definitionem missionis, causas et fines eiusdem. Ad trutinam revocantur sententiae theologorum et missionologorum et postea auctor, prae oculis habitis non solum documentis Sanctae Sedis sed praesertim praxi tricentenaria ipsius Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, suam sententiam exprimit. Postea tractat de definitione, ratione scientifica et divisione

missionologiae necnon de methodo sequenda in studiis missionologicis, et exspungit omnia illa elementa quae stricte non pertinent ad studium missionologiae. Exempli gratia iure meritoque auctor a missionologia excludit historiam religionum et scientias auxiliares, quae licet sint valde utiles ad iustam methodum missionalem determinandam, non pertinent ad rem nostram. Breviter deinde loquitur de celebrioribus institutis missionologicis, bibliothecis et archivis, in quibus asservantur documenta circa missiones. Quattuor capita sunt destinata ad illustrandum ius missionale in genere, in historia, in fontibus et in eius habitudine cum iure communi. Postea quinque capita quam breviter loquuntur de ideis missionalibus in Sacra Scriptura, de doctrina Ecclesiae circa missiones, de quaestionibus de re dogmatica et morali relate ad missionologiam et insuper de curis Summorum Pontificum in statuendis regulis pro apostolatu missionario. Auctor quaestiones dogmaticas respicientes missiones solum indigitat, nam earum enucleatio potius pertinet ad theologiam dogmaticam quam ad missionologiam: et recte quidem. Capita septem (XVI ad XXII) sat ample tractant de litteratura missionologica sive catholica sive protestantium. Uniuscuiusque auctoris praecipuae ideae missionologicae exponuntur et libri. Quae dicit circa ideas missionarias protestantium sunt maximi momenti, nam generatim de hac materia auctores catholici silent.

Secunda pars agit de hierarchia missionali, in qua auctor praetiosas informationes in re studiosis praestat. Primum caput tractat de Summo Pontifice; secundum de Curia Romana et praesertim de Sacra Congregatione de Propaganda Fide et de ceteris Dicasteriis habentibus in missiones saltem competentiam indirectam; tertium de Nuntiis et Delegatis apostolicis; quartum de Ordinariis missionum. Licet expositio sit brevis, tamen exhibet omnia illa elementa necessaria ad iustam ideam habendam de peculiari organizatione ecclesiae missionalis. Forsan in altera editione haec desideratur ut sit amplior. Quintum caput agit de circumscriptionibus missionalibus et ultimum caput sextum breviter agit de hierarchia ecclesiae orientalis.

Tertia pars dividitur in quattuor sectiones et agit de missionariis et de methodologia missionali. Plura heic inveniuntur quae difficile in aliis libris id genus tractantur et valde sunt utilia non solum pro missionariis sed praecipue pro illis qui in missionologiam incumbere optant.

Prima sectio complectitur sex capita et prius agit de missionario in genere et postea de eius efformatione intellectuali et morali. Ad rem exponuntur praecipuae sententiae auctorum veterum et recentium. Caput quintum loquitur de vexatissima illa quaestione circa habitudinem inter Instituta missionalia et hierarchiam missionalem. Sextum agit de Institutis religiosis in missionibus.

Secunda sectio agit de methodologia missionali generali, scilicet de accomodatione et de mediis spiritualibus et naturalibus ad opus missionale promovendum. Inter media spiritualia auctor enumerat gratia, oratio et miracula et coronidis causa adiecit caput de spiritualitate populorum qui ad fidem vocandi sunt. Ut media naturalia habentur

praedicatio, catechumenatus, scholae, clerus indigena et seminaria, ars et musica sacra et ceterae operae caritatis et socialia. Omnia exponuntur quoad principia generalia et modum in praxim deducendi praescripta in re data a Sacra Congregatione de Propaganda Fide.

Tertia sectio istius tertiae partis loquitur de methodologia missionali speciali apud populos primitivos, hinduistas, buddhistas, inter cultores confucianismi, taoismi et scintoismi, apud muhamedanos et judaeos. Omnia quae inveniuntur in istis capitibus sunt maximi momenti et illustrant mentalitatem et mores populorum missionum. Quarta sectio absolvitur tribus capitibus circa modum ad ovile Christi revocandi partes dissidentes, scilicet orientales schismaticos et protestantes.

In fine auctor proponit sat amplam bibliographiam, licet in fine ciusque capitis sint indigitati praecipui libri circa rem tractatam.

Opus clarissimi Paventi libenter commendamus ob copiam rerum, quae tractantur, ob claritatem exsposiotionis praesertim in re juridica et insuper ob serenitatem qua et implexissimae quaestiones ad triutinam revocantur et solvuntur.

Gerente Responsabile Mons. FIORENZO ROMITA
Autorizzazione del Tribunale di Roma N° 1373 del 15 / 2 / 1950